Alij diutius Imperium tenuerunt, nemo tam fortiter reliquit. Tacit. Histor. Lib. 2. c. 47. p. 41

Alij diutius Imperium tenuerunt, nemo tam fortiter reliquit. Tacit. Histor. Lib. 2. c. 47. p. 41

Commentariorum
De
Rebellione Anglicana
Ab Anno 1640.
Usque ad Annum 1685.
Pars Prima.

Autore *R. M.* Eq. Aur.

——*Quæq; ipse miserrima vīdi.*

LONDINI,
Impensis *L. Meredith* ad Insigne Regis & *T. Newborough* ad Insigne Stellæ in Cœmeterio D. Pauli. MDCLXXXVI.

IMPRIMATUR,

Novemb. 19. 1685.

Middleton.

AUGUSTISSIMO REGI

JACOBO SECUNDO

Britanniarum &c. Monarchæ Inclyto.

OFfertur ſacræ Majeſtati tuæ REBELLIONIS ANGLICANÆ Hiſtoria, quam Te non indignam dixeris, ſi in ea Auguſtiſſimi Parentis, nec non Tuos nupérque defuncti Fratris Labores contineri intelligas. *Ille*, virtute, conſtantiâ, fide invictus, armis tamen ac vi Rebellium oppreſſus, *Martyr* tandem occidit. *Hic*, bonorum deliciæ & amor, nobis improviſò ereptus. *Tu*, utri-

uſque Sedem occupas, longâ Regum proſapiâ, innumeríſque virtutibus conſpicuus: Imperio natus, quin & ipſo Imperio major.

Infinitum *Carolus* reliquiſſet Sui deſiderium, niſi Te etiam Succeſſorem nobis reliquiſſet. Etenim quam in Illo amiſerunt felicitatem Populi, in Te renaſcentem conſpiciunt. Maturum regno Principem, amabilem Civibus, Exteris formidandum adorant.

Te mirabatur olim *Gallia* armorum tyrocinio illuſtrem. Te Juvenem *Hiſpania* in auxilium

xilium vocavit. Te triumphantem, vindicato Maris imperio, victoriâ vel *Actiacæ* æmulâ, ſenſerunt *Batavi.* Quæ in Oceano plaga, quis in Terrâ locus, cui Nomen Tuum non inſonuerit?

Nec minora domi præſtitiſti. Bonorum ſpem & vota tantùm non ſupergreſſus, malorum egregiè fefelliſti. Regimen, ringentibus licèt malevolis, pro tuo Jure ſuſceptum, prudentiâ ſuſtentâſti: Tantáque Tui apud Parlamentum reverentia, fideíque ſemel datæ exiſtimatio, ut nobilis Conſeſſus tutiorem in Tuis

Tuis promiſſis Religionem credat, quàm ſi novis denuò legibus ſtabiliretur. Exemplum Majoribus incognitum, Extraneis inauditum.

Nec deeſt regnanti triumphalis gloria, *Scotiam* Perduellibus devictis jam tertiùm pacâſti; ingratámque Domi rebellionem incredibili fortitudine, celeritate & prudentiâ extinxiſti; adeo ut nihil Malis, niſi Mali Deſiderium, relictum ſit. Sic Thronus ſecuritatem, Populus libertatem, Leges Tibi vitam & perennitatem debent.

Jamque ſibi gratulatur Anglia,

Anglia, quòd Regi Optimo ſuccedat Maximus, alternaſque Clementia vices & Fortitudo habeant. Augurantur omnes ſummam Imperii fælicitatem; æternitatem enixè adprecantur; quos inter qui olim Patri, nuper Fratri, nunc Tibi obſequium omne teſtari ambit,

Sacr. Reg. Majeſtati V^ra.

Devotiſſimus Subditus & Servus,

R. Manlius.

AD

AD LECTOREM.

Difficile eſt Satyram non ſcribere; ſi quid igitur rerum atrocitate motus, in nefarios Calamitatum noſtrarum Auctores durius ſcripſerim, non mirandum; quippe zelo in Patriam & Patriæ Parentem impulſus; atque Scapham Scapham vocare, et dicere verum quid vetat? præſertim cùm domitam ſpectemus quamintumeſcentem ſenſimus diram Puritanorum factionem, & habeat præteriti doloris ſecura recordatio delectationem ſuam. Non ingratum Exteris rerum noſtra-

rum

rum plerumque ignaris inſtitutum noſtrum fore confido, quippe incorruptâ fide enarratum. Arridebit ni fallor Hiſtoriæ contextura, quæ licèt calamitatibus, ſceleribúſque infamis, ſuos tamen habet lepôres, variiſque præliis, cladibus, victoriis inſignitur. Utcunque ſit, Lectorem nec ambio, nec arceo; eandem illi in legendo, quam ego mihimet in ſcribendo libertatem ſumpſi, relicturus.

ERRATA.

PAg. 12. *lin.* 22. *leg.* Palatinatui. *p.* 25. *l.* 23. *leg.* 12000000. *p.* 47. *l. ult. leg.* Momonia. *p.* 51. *l.* 9. *leg.* excepit. *p.* 78. *l.* 4. *leg.* Edmundus. *p.* 88. *l.* 9. *leg.* majoribus urbis plateis. *p.* 89. *l.* 23. *leg.* devaſtabantur. *ib. l.* 24. *leg.* Scriptore. *p.* 130. *l.* 15. *leg.* autumantes. *p.* 157. *l.* 15. *leg.* tribus millibus. *p.* 164. *l.* 8. *leg.* ducibus. *p. p.* 168. *l.* 20. *dele* non. *p.* 175. *l.* 13. *poſt* ideoq; *adde* regem. *p.* 178. *l.* 23. *leg.* duo millia. *p.* 207. *l.* 19. *leg.* à Collegis. *p.* 211. *l.* 13. *leg.* lignarii. *p.* 216. *l.* 22. *leg.* utquam. *p.* 224. *l.* 13. *leg.* ordiniſque.

LIBRI

LIBRI PRIMI

Argumentum.

COalitio *Angliæ Scotiæque.* *Jacobo Carolus* ſucceſſit. Tumultus Scotici. Seditio *Edinburgenſis.* Parlamentum ſanguinarium *Londini* convenit. *Straffordiæ* Comes Majeſtatis poſtulatus, occiditur. *Scoti* dimittuntur. Rex *Scotos* in patriam ſequitur. Epiſcopi incarcerantur. Tumultuantur *Londinenſes.* Rex *Hullâ* excluditur. Conjuratio Hibernica. Rex militem conſcribit. Idem & Parlamentum facit duce *Eſſexio.* Prælium *Keyntonenſe.* Rex *Brentfordiam* expugnat. *Oxoniam* redit. Comitis *Neocaſtrenſis* res geſtæ. Regina *Burlingtoniam* appellit.

Prælium

Prælium *Lanſdownenſe*. Ad *Devizes* pugna. *Briſtolia* à Regiis, *Redinga* à Rebellibus capta. *Gloceſtriæ* obſidio. Prælium *Neoburienſe*. Parlamentum *Scotos* in auxilium vocat. Eorum perfidia. Perduellium ſacrilegia. Comitia *Oxoniam* transferuntur. *Scoti Angliam* invadunt. Prælium ad *Marſton-Moor*. *Rupertus Lancaſtriam* repetit. *Wallerus* Regios fugat. A Rege vincitur. Regina in *Galliam* ſe recipit. *Eſſexiani* caſtris exuuntur. Prælium *Neoburienſe* ſecundum. *Eſſexius* in *Cromwellum* invehitur. *Hothamii* cap. plectuntur. Idem Ar. Epiſ. Cantuarienſis fatum ſubit. Colloquium *Oxbrigenſe*. *Salopia* intercipitur. Varii rebellium ſucceſſus.

Commentariorum

De

Rebellione Anglicana

Liber Primus.

POſtquam coaluiſſent ſub unius Principis imperio diviſa hucuſque Angliæ Scotiæque regna, ſublatáque gentium odia & æmulationes eſſent; maxima repentè & ab extrà inexpugnabilis poteſtas eminere cernebatur. Huic acceſſerat *Jacobus Scotorum* Sextus,& magnæ *Britanniæ* primus Monarcha, *Indubitatus Hæres*;quippe qui originem à *Margarita*, ſolâ *Edgaris Athelingi* ultimi *Saxonum* Principis ſorore tractam, victricibus *Normannorum* armis, præſcriptóque juri adjunxerat. Mortuo Principi Doctrinâ, Sapientiâ, Pacíſque artibus clariſſimo, *Carolus* filius ſucceſſit. Hic Patris regnorum virtutúmque hæres, Anteceſſoribus omnibus

Jacobo *primo* Carolus *primus* ſucceſſit.

eâ animi manſuetudine atque æquitate præluxit, ut tragœdiæ, motuúmque noſtrorum portentoſus exitus vix fidem apud poſteros, locum potiùs inter Poëſeos figmenta inveniat. Quis enim ſanus crediderit optimum Principem, pacis & boni publici cupidiſſimum, patriæque Patrem, *judiciali* parricidio à ſubditis interemptum; idque tyrannidis obtentu? *At hæc æterna Britanniæ opprobria, nullóque expianda ſacrificio evenêre.*

Jacobus Rex pace opibúſque florens regnum, ſed bello contra Hiſpanos implicitum, reliquit; vacuo præſertim ærario, ipſisque Comitiis, quæ Patrem ad arma impulerant, auxilium Nato negantibus. Nec obſequentiora quæ ſequebantur *Parlamenta.* Ab ipſis enim Rex in ſummis negotiis, *Germanico* quippe bello alterius Conſeſsûs impulſu inito, & in *Gallica* expeditione utcunque pro Religione ſuſceptâ, deſertus. Aliud equidem *Parlamentum* non parcè ſuppetias tulit; at nèc minori pretio quàm notâ illâ apud Anglos lege (a) *de Petitione juris.*

(a) The Petition of Right.

Ordines tam inſuetâ conceſſione elati, (b) *jus regium in vectigalia maritima*, continuâ uſucapione Regibus *Angliæ* devoluta, in examen vocant, damnántque: auſi affirmare

(b) Tonnage and Poundage.

firmare Regem à jure, ſi quid unquam habuerit, ipſâ iſtâ lege cecidiſſe. Idque adeò audacter, proculcatâ avorum modeſtiâ, pronuntiatum; ut Rex Comitia dimittere, nonnullósque è turba novantium mulctare coactus fuerit.

Peregrè prodierat ſub regno *Mariæ* Reformatæ Religionis cauſâ ingens hominum numerus, quorum permulti *Genevenſium*, aliorúmque diſciplinis imbuti, *Puritanam* ſecum ab exilio ſuperſtitionem, regnante *Elizabethâ*, adduxêre; quæ ſub *Jacobo* magiſtratuum incuriâ (dicam, an puſillanimitate) adeò aucta, ut non tantùm larva pietatis in populares cœtus, ſed in Aulam ac in ipſa regni Comitia irrepſerit. Id præſertim ab iis novatoribus tentatum, ut inſitam populo juris regii opinionem imminuerent, Regémque ipſum iis premerent anguſtiis quibus ad inſolita compelleretur: quod infeliciter evenit. Rex cùm nulla à Comitiis ſubſidia expectanda perſentiſceret; ea ſic conſtituta faſtidire, ſcrutaríque quid quantúmque jure regio poſſet, incipit. Tanta tamen illi legum reverentia, ut ipſas vel lædere nedum violare exoſum habuerit: Nec vel ipſum exegerit (c) *cenſum navalem* ad vindicanda maris jura impoſitum,

(c) Shipmoney.

positum, nisi priùs habitâ duodecim regni Judicum sententiâ.

Plebs verò Principis aspernata clementiam, fremebat, novantiúmque impulsa furoribus, leges libertatémque in extremo discrimine versari clamitantium, Regni, ut putabant, errores & detrimenta (Bellum enim foris infæliciter gestum) in Consiliarios trahebat.

Ad hæc (utì tum ferebatur) exuberans Ecclesiasticorum potentia, exemptionem à Laicorum jurisdictione obtendentium; inusitata rituum introductio; sacræ mensæ è templi gremio ad orientalem partem translatio; aliorúmque, utcumque in se innocuorum, severior impositio nonnulles angebant, magníque per Provincias tumultibus occasionem dedêre. At nihil hominum bilem æquè commovebat, ac seditiosos quosdam, qui in ritus, rituúmque auctores Episcopos, acriùs scripserant, in carcerem mitti, auriúmque imminutione mulctari; graviori, licèt in nocentes, & extrema meritos, quàm tempus ferebat, severitate. Adde pacis diuturnitatem, quæ à *Jacobi* temporibus ad tertium usque hujus Regni lustrum producta, æternitatem pollicebatur, nisi civili rabie motibúsque plusquam hosti-

hoſtilibus interrupta. Nihil enim noſtræ fælicitati deerat; *Britanniſque* ſua ſi bona noviſſet, opum affluentiâ, commercio, ſecuróque acquiſitorum uſu beatiſſimus habebatur. Creſcenti verò ex abundantiâ luxu, & ex luxu faſtidioſâ ſatietate, in *Plethoram* incidimus; malum vulgari ſanguinis effuſione haud ſanabile: Cui nimia medicorum indulgentia ingens adeò incrementum dedit, ut abrepto in cæteros humores dominio, luxurians peſtis *Hierarchiam* ex Eccleſia, & *Monarchiam* è *Republica* flagitiosè expulerit.

Hinc rerum noſtrarum mutatio. *Preſbyteriani* ſeu *Puritani* Præcones, per omnes regni Provincias ſparſi, atque ipſis Parlamenti decretis auctorati graſſabantur. Innumera Sectarum examina, Puritaniſmi proles, libertatem in ſacris civilibúſque depoſcebant. Romanæ religionis cultores, Pontificis in ſacris promovebant imperium. Multa denique pars minorum Nobilium, ex quibus plerumque inferior Parlamenti domus conflatur, ſuæ, dum illic ſedebat, exaltationis opinione elata, in *Democratiam* ruebat.

Adoleverat interim, plauſibili ſanctimoniæ prætextu, larvata Impietas; illuſúmque Religione vulgus, in ſui reveren-

tiam traxerat. Haud credibile quantum invaluerat ſeditioſo præconum furore in jus regium, receptóſque Eccleſiæ ritus debacchantium ſacra novitas. Urbes, rura, privatos lares faſcinaverat ſui opinione. Ipſos invaſerat Ordines; quos inter *Antimonarchiſtæ*, Libertatis, Religioníſque vindicandæ ſpecie, contra Aulicorum Catholicorúmque molimina, utramque opprimebant; Plebis immunitatum ſervandarum obtentu, ipſam, ut vocamus, Regis *Prærogativam* aggreſſuri. Quid ni odioſo *Papiſtarum* nomine omnes ſibi contrarios miſerè proſcindebant? Hiſce populum artibus delinientes, ſuos eo pertinaciùs duces ſequutum, quanto majori Religionis ſtudio efferveſcerent. Et profectò mala adeò tempora, ut quodcumque à Rege in *Papiſmum* actum, fidem nuſquam invenerit: Illud verò avidè acceptum, quòd Aulam aulicóſque in Superſtitionis ſuſpicionem traheret, nullâ Statûs ratione habitâ. Atquì atrox è *Scotia* malorum initium, viréſque invalidæ aliæque nequitiæ ab extrà ſubminiſtratæ, ex hujuſmodi occaſione.

Scotici tumultûs.

Uſurpaverant ſub infantia *Jacobi* Regis, connivente *Murræo* gubernatore, Monaſteriorum Eccleſiarúmque Prædia, licèt

licèt Parlamenti decretis Coronæ annexâ, Proceres & primarii Nobiles; uſurpatíſque cum gravi in ſibi ſubjectos tyrannide fruebantur. At *Carolus* externis cùm premeretur bellis, nulláque è *Scotia* ſubſidia haberet; Eccleſiaſtica rurſus bona, eodem annuente Regni Concilio, repetiit. Illis verò tutius viſum, omnia miſcere, quàm cedere uſurpata. Huc accedebat, quòd Rex cùm in *Scotia* Anteceſſorum more diademate inſigniretur, honoris ſtemmata nonnullis negaverit, ne profuſione vileſcerent; quo ita exarſerunt animi, ut proximè indicendis Comitiis conſpirationem ad leges omnes evertendas molirentur. Idque Religionis obtentu, quo nihil ſpecioſius, atque ad captandum vulgus magìs doloſum. Molientibus ſe dedit occaſio.

Liturgiam ab Eccleſiæ Reformatoribus Epiſcopis compilatam, nonnullorúmque eorum Martyrio ſancitam, & precum codicem Scotis obtulit piiſſimus Rex: Concupiverat enim gentes ſub eodem imperio aggregatas, in eoſdem ritus fidémque coaleſcere. *Jacobus* Rex (*d*) *Aberdoniæ* olim cum ſuis Scotis ſermones de Liturgia habuerat, cui & libenter ab iis aſſenſum. Collectam,

(d) Aberdeen.

Scoticæque Eccleſiæ adaptatam, in Angliam mittunt. Remittendæ curam à Patre neglectam ſuſcepit Filius, ſuadente (alieniſſimo licèt tempore) ſanctiori in Scotia Concilio, & circumventus intempeſtivo quorundam zelo & impulſu. Conſilium utcumque laudabile, at non habitâ temporis ratione. Inde, ſimultatibus uſque adeò creſcentibus, rebellandi anſam arripiebant. Haud credibile quàm contumaciter à Presbyterianis, citiùs in Religionem ipſam quàm in ejus ritus peccaturis, conclamatum, à Rege ſuperſtitionem in Eccleſiam, & profanas colendi formulas introductum iri. Ab iis etiam rumores ſparſi, qui nihil æquè ac raptorum reſtitutionem horrebant. Alii de redigenda in Provinciam Scotia loquebantur: Adeò ut populus periclitari ſacram juxtà ac civilem Libertatem autumans, cuivis novatorum impetui libidiníque obnoxius fieret. Hinc ſeditio *Edinburgenſis*, & in Liturgiam piè inſanientium furor. Hoc tumultu penè obrutus Decanus rem ſacram faciens, & Epiſcopus qui in ejus locum ſuccedebat; ſubſelliis, libris, ſaxis, & quidquid efferatorum rabies adminiſtrabat, in eorum capita detortis.

Seditio Edinburgenſis, *Jul.* 23, 1637.

Pri-

Primarii conjuratorum duces, qui populi colluviem uſque adeò præſtigiis circumvenerant, & in Liturgiam concitaverant; eam etiam vindicandæ Religionis ſpecie, inito Gentili fœdere, ad hanc non tantùm abolendam, ſed & Epiſcoporum, opimis Eccleſiæ ſacerdotiis inhiantes, *Hierarchiam* penitùs extirpandam, obſtringunt. Porrò arma, inſtigantibus ex Anglia Puritanis, rapiunt; excuſſâque obſequii reverentiâ, Regia munimenta reditúſque omnes in belli uſum uſurpant. Conſcripto itaque exercitu, de *Gallis* in auxilium vocandis conſultum. Externa in Principem à *Ludovico* XIII ſubſidia implorata. Quo & ingens arcanum patefactum, *poſſe Romanam Religionem, initis cum Romano* (e) *Cardinali conſiliis, junctíſque cum Chriſtianiſſimo Rege viribus, extirpari.* (e) Richelieu.

Carolus, malè parentium inſolentiâ ſtimulatus, ad arma vertitur. Ingenti comparato exercitu, caſtra Scotiam verſus movet. Cæterùm haud quicquam eâ expeditione geſtum, tanto dignum apparatu. Proceres plerumque, & minores Angliæ Nobiles, ad Scotiam invadendam ægrè adducti. Quod, perpenſis veteribus 1639.

bus inter vicinas gentes inimicitiis, mirandum. Timebant ne devictâ Scotiâ, victrices inde copiæ in Angliam ducerentur. Inde Militum defervescentia. Nec mirum, cùm præcipui ductores inter primos postea tumultuum Coryphæos in Anglia numerati. Rex suorum perfidiâ monitus, in pacem cum rebellibus coactus. Eoque pronior; *quippe gnarus, nihil Principibus perniciosius civili discordiâ.*

At *Scoti* contra pactorum fidem copiarum partem, ducésque omnes imprimis reservârunt. Nec everſum, utì conventum priùs, *Leithense* munimentum. Editus insuper adversus pacta libellus, qui ob egregia, quibus scatebat, mendacia, flammis à carnifice commissus fuit. Hoc efferati Rebelles, priorique tumidi successu, classicum secundò canunt. Spretâ conventorum sanctione, in Angliam irruunt. (f) *Novum-Castrum* (g) *Dunelmúm*que oppida occupant, præmissis, evulgatâ declaratione, belli causis, Providentiâ utpote divinâ atque ad Dei gloriam suscepti. Aiunt porrò, arma se tantùm ad sui defensionem, *Risum teneatis?* cepisse: Non Regem aut Regnum, sed *Cantuarienſem* tur-

(f) Newcastle.
(g) Durham.

turbam impetere: Idque imprimis conari, ut utramque gentem unâ Religione ſociarent.

Rex verò Fœderatos ad obſequium redigere ſeriò ſtatuit. Clementiâ abuſi, de Regis in *Scotia* auctoritate pro libitu decernebant. Arces & munimenta occupaverant. Se fœderibus, Sacramentis, aliiſque id genus, obligaverant invicem. Parlamenti decreta ſuis reſcindebant placitis. Epiſcopatûs abolitione regni mutilabant Comitia. Itaque *Londini* Parlamentum indictum. Idque eo gratius, quòd per aliquot annos, quò æſtus & ſimultates deferveſcerent, dilatum Rex pecunias in belli ſumptus & ſubſidia enixè poſtulat. Imò offert ſe, ſuis ſi rebus adeſſe profuſiùs velint, *Navale tributum* renuntiaturum. Nec ſic quicquam obtinuit; refragantibus Comitiis, tributi impoſitionem iniquam, & illegitimam pronuntiantibus, quæque, niſi ſubitò dimiſſa, in ipſum, quod deteſtabantur, bellum decretura erant. *Apr.* 13. 1640.

Angebat nonnullorum animos ſubitanea Parlamenti diſſolutio, quâ ſimultates inter Regem & populum, conſeſsûs diuturnitate forſan diſſipandæ, increverunt. At acriùs ab incitata plebe in conſilii

consilii auctores debacchatum. Alii *Hamiltonii*, confœderantis matris ambitiosi filii, artibus arcanum tribuebant. Non defuêre qui *Straffordiæ* Comitem invisæ rei authorem apud populum fugillabant. Horum tamen præcipuus habitus est *Laudus* Archiepiscopus *Cantuarienſis*. Unde verso in illum furore, in Palatium ejus condicto die impetum facit hominum colluvies. Quod & procul dubiò expugnatum, nisi defensionem præmonitus adornâsset.

At *Henricus Vanius* Eques Auratus, Regi à secretis, turbarum in Comitiis causa veriùs censebatur. Is Domino parùm fidus, Rebellium arte, postulata à senatu subsidia adeò auxit, ut non tantùm seditiosos, sed modestiores etiam homines irritaret. Non equidem displicebat Rebellibus Regii ærarii penuria. Imò ad summas eum angustias reduxerant. Prolatis de *septemviro Palatinatu* restituendo decretis, implicito eo bello Regi nusquam adfuerunt. Quid ni ad infœlix dilemma coegêre Principem, aut nulla à Comitiis subsidia expectare, nisi conventionibus à Monarchiâ abhorrentibus; vel Aulicorum, quos summè diligebat, sanguine coempta: Aut insolitas asperásque forsan

tentare

tentare vias rationésque, quibus populi odio & contemptui objiceretur?

Inter hæc *Carolus* pecunias aliunde conquisivit. Fidi Proceres, Regni Judices, minores Nobiles, quasi per certas vic s, subministrabant. Ipsi, Ecclesiastici quintam sacri Reditûs partem obtulêre, unde bellum *Episcopale* dictum. Solus *Straffordius* viginti aureorum millia dedit. Idem *Lenoxiæ* dux; aliique prælargiter quisque pro suis facultatibus. *Hamiltonius* Pauperiem obtendit; qui tamen, (si ei qui ejus (*h*) *gesta* scripserit, contra unanimem Anglorum sententiam, credendum) decem etiam librarum sterlingarum millia addidit. Rex itaque, contractis copiis, in *Scotos* proficiscitur; at lentiùs quàm par erat, eos haud tam expeditos existimans qui *Tuedam* amnem prope *Berovicum* transierant.

(*h*) Memoirs.

Aug. 17. 1640.

Præerat Regio exercitui, absentibus *Northumbriæ* & *Straffordiæ* Comitibus, quorum ille copiarum Præfectus, hic Legatus, *Connavius* Regulus equitum Magister. Aditum *Tinæ* fluvii *Neoburniæ* cum tribus peditum millibus, & ducentis supra mille equitibus insederat. *Lesleyus* Scotorum dux veniam Regem, supplici cum libello totóque stipatus

ſtipatus exercitu, adeundi poſtulat. At rejectus, præmiſſis trecentis equitibus, tranſitum aperiri jubet. Quibus pulſis, viam tormentorum majorum impetu facit; quo territi Regii, tyrones ferè omnes, abjectis armis, fugâ ſe ſubducunt. Amoto pedite, *Wilmottus* equitum Commiſſarius Scotorum aggreſſiones diu ſuſtinuit. Sed numeris oppreſſus ingruentibus, cedere cogitur. Scoti *Neocaſtrum*, à Jacobo *Aſhleyo*, Equite aurato, qui tormenta majora præ nimia feſtinatione flumine immerſerat, relictum eodem die occupant; dum Regii incondito receptu verſus (*i*) *Eboracum* feſtinant. Biduò pòſt (*k*) *Dunelmum* urbem eadem fortunâ abripiunt. Jamque ſeptentrionales regni provincias tanquam devictas ſub jugo mittunt: Cogúntque annonam & ſtipendium famelico ſuo exercitui adminiſtrari.

(*i*) York.

(*k*) Durham.

Sept. 24. 1640. Hiſce Rex anguſtiis preſſus, Procerum conventum *Eboraci* indicit. Horum conſilio (dicam, an diſſenſionibus) inito inter partes colloquio, ab armis ceſſatum; at precariis infamiâque plenis conventionibus. Scilicet quatuor, quas inſederant, Provinciæ rebellibus conceſſæ. Numeratæ per diem in exercitûs ſtipendia 850 libræ ſterlingæ. Nec mirum, cùm ex ſeptemdecim

decim Proceribus ad controverſias cum Scotis diſceptandas delegatis, undecim ſubſequenti civili bello inter perduellium Ductores primatum obtinuerint.

Nec memoriæ tradere indignum exiſtimavi, quod in Delegatorum conventu accidit. Mirari Scoti videbantur, quòd quandoquidem ab Anglicis Proceribus invitati in bellum proruperant; nullus tamen ex iis, parciſſimis beneficiorum æſtimatoribus, aliquam ea de re mentionem fecerit. Angli probris immeritò affecti, fortiter negant ſe ullis Scotos literis allexiſſe. Tandem prodit Autographum ab iis ipſis plerumque ſubſcriptum. Hoc perſpecto, hærebant attoniti; donec re penitùs examinatâ, *Savilii* Baronis commentum inveniebatur. Detectâ tandem fraude, rem, cùm non malè cecidiſſet, indicto ſilentio ſepeliêre.

At *Straffordiæ* Comes contra venalem ſolus ſentire pacem auſus. Is Scotos ferro, non auro ſubmovendos cenſet. Porrò Regem monet, ne quaſvis pacis conventiones vel ſe, vel Anglorum gente non dignas ineat. Det ſaltem veniam hoſtes aggrediendi: ſe enim non dubitare, quin hos in ſua iterum receptacula, debitúmque Domino obſequium

quium adigat. Consilium eousque Scotis exosum, ut authorem ad mortem prosecuti sint. Contrà, *Hamiltonius* pacem cum Scotis suadet. Nec eam Proceres Angli aversabantur; arbitrati Parlamenti indictionem, atque cum Scotis inducias, sola esse remedia quibus jam imminentibus periculis occurreretur. Tempestate hoc modo elapsâ, Parlamenti à Rege convocati arbitrio defertur rerum summa. Hic est fatalis ille Consessus, qui prævalente Puritanorum factione, impietatis, sacrilegii & inobedientiæ fastigium omne excessit; præstantissimæ Ecclesiæ ruinâ, optimique Principis interitu. Licuit equidem Regi meliora à Comitiis expectare, quæ non aliorum magis suasu convocaverat, quàm propriâ sententiâ & sponte adductus: Gnarus quippe, *Parlamenta ritè habita*, ut ejus verbis utar, *tum coronæ saluberrima, tum populo gratissima.*

Parlamentum sanguinarium Londini convenit III. Non. Novembris, An. 1640.

Interim Rex, quæ bello gesta, quæque adhuc agenda, in superiori Nobilium domo coràm narrat, urgétque ut quàm citissimè, quibus auxiliis è finibus Rebelles arceantur, excogitent. Operi se non defuturum monet. Promittit, hoc semel præstito, se ad amovenda populi gravamina

mina, facilem juxtà promptúmque præbiturum. At invalidâ apud Ordines Regis desideria. *Scotos* Rebelles à Rege vocari vix ferebant. Non censent dimittendos quibuscum in partem Conjurationis iverant. Aut saltem, nisi iis priùs extortis quæ Tyrannidi confirmandæ inservirent. *Scotorum* igitur patrocinio freti, omissis de quibus consulendum negotiis, in Gravamina tàm publica quàm privata invehuntur. Tentandi causâ quantum audere possint, populíque erga se favoris experimentum faciendi; tres famosos *Delinquentes*, *Prin*, *Burton*, *Bastwick* libertate donant; spretâ Regis auctoritate, legúmque Reverentiâ. Hi procaci Pompâ, ingentíque hominum multitudine stipati, urbem ovantes ingrediuntur. Ferociores Ordines facti, Calamitates Regiminísque errores enumerant. Aulicos Regísque à Conciliis ministros insimulant. Reipublicæ tàm sacrum quàm civilem statum immutant; supremam in se Authoritatem paulatìm tracturi. Ut verò Regi fucum facerent, enixè facultatem efflagitant, Regios introspiciendi reditus, quò augeri stabilirique possint. *Pollicentur, se illum omnium Christiani nominis Principum ditissimum, maximum-*

que effecturos. At quâ id fide præſtitum, infrà videbitur. Interim verò Regalem ipſam imperii Majeſtatem faſtidiunt: audacterque in utramque ventilatum partem, an Jure, aut Injuriâ apud Anglos obtineret? Omnes Regi & *Monarchiæ* addictos amovent. Minis eos, tumultibus, proſcriptionibus inceſſunt. Nomina poſtibus affigunt, quo vulgi furoribus fierent obnoxii. Hinc excluſi è Senatu, ſuffragiorum libertate, Nobilium nonnulli: Inferioris verò Domûs quamplurimi ſe prorſùs ſubducunt: Dum cæteri, ſeditioſis vel mancipati, vel impares, ne muſſiſtare quidem audeant. Inde *Finchii*, Magni Sigilli Cuſtodis, *Windebankii* à Secretis, *Papiſmi* falſò inſimulati; aliorúmque, qui cedendo tempeſtatem eludebant, fuga. Epiſcoporum ſequuta eſt incarceratio: & è Conſeſſu poſteà, receptis, incitatíſque contra *Hierarchiam* libellis, ejectio. Hi, contra *Magnam Chartam*, contra leges regni, & immemoratam Sæculorum Conſuetudinem; è Comitiis, in quibus, Parlamentis nondum conſtitutis, legiſlativâ Authoritate uſi ſunt, expelluntur. Atque ità Reſpublica reſcinditur, ſubvertitúrque Parlamentorum Conſtitutio; quorum ipſiſſimis decretis, Eccle-

Eccleſiaſticus Ordo primatum in Comitiis obtinuit. In Judices deindè animadverſum, quòd ab iis Cenſus Navalis juxta legum normam Regi aſſertus: quem excepit *Straffordii*, *Hiberniæ* Proregis, inſtigantibus *Scotis*, feſtinata cædes.

Præſenſerat, dum *Eboraci* adhuc erat, periculum ſagaciſſimus Comes; ab amicis in Senatu quotidiè admonitus, nè *Londinum* veniret; utpote Comitiorum in illum, *Scotorúm*que odii & invidiæ haud ignaris. Hortabantur porrò, ut cum exercitu maneret; quo ex Adverſariorum conſpectu ſubductus, oblitus fortaſſis, aut neglectus jaceret: Haberétque tutiorem exinde in *Hiberniam*, ſui juris Provinciam, vel in aliquam tranſmarinam Regionem ſe recipiendi copiam. At ille ſuâ integritate audacior, & nè fugâ nocentior videretur; Rege præſertim abſentiam ejus vix ferente, cujus Conſilio in arduis indigere non ſuſtinuit, *Londinum* præcipitantiùs contendebat. Prætulerat equidem caput, quàm famam in diſcrimen mittere. At nè ſe hoſtibus imparatum objiceret, eoſipſemet aggredi ſtatuit, conflatis in eum finem Articulis. Nec tàm defuit illi criminandi Materia, quàm aliàs hominum ſagaciſſimo Opportunitas. Ab

Straffordiæ Comes, à Parlamento læſæ Majeſtatis poſtulatus.

expeditiori adverſario interceptus, Curiam vix intrârat, cùm læſæ Majeſtatis reus ipſemet poſtularetur. Via tamen patefacta, quâ periculo eriperetur, hoſtibúſque ipſis jungeretur amicitiâ; conceſſis nimirùm à Rege majoribus quibusdam regni muniis. Quod cùm negatum, ſpe magnâ deſtituti, ideoque ſæviores; conjunctis cum *Scoto*, implacabili hoſte, viribus, Comitem impetunt. Viginti octo accuſationis Capita conflata, quorum præcipua magiſque notanda; *Quòd fundamentales Regni leges evertere: Deſpoticam in Regno poteſtatem introducere: Antiqua Parlamenti jura & privilegia ſubruere molitus fuerit.* Hiſce, appendicis loco, addebantur *Henrici Vanei* Equitis, Regi à ſecretis, ſchedulæ. Iis variæ *Straffordii*, aliorúmque latæ in ſanctiori Concilio ſententiæ continebantur. Poſtulatus is de læſâ in Regem fide, cui ſe ſecreti Sacramento obſtrinxerat, filium de raptis è ſuo ſcrinio ſcriptis accuſat. Nec perperam. At ſuſpicionem Regis arcanorum Comitiis prodendorum, amovere nequaquam potuit. Id enim ab ipſis Senatoribus, *Pymio*, aliiſque, urgente Rege, agnitum. Nihil verò inde in *Straffordium*, ipſis fatentibus Adverſariis, probatum.

batum. Quanquam adducti ex *Hibernia* teſtes, actoréſque in omne facinus proni; qui, inchoandæ jamdudum meditatæ Tragœdiæ gratiâ, perſpicaciſſimum Comitem è medio ſublatum ambirent. Objecta adeò facilè diluit, ut niſi perdatur, ſuam ſe exiſtimationem perdituros Factioſi timeant. Ab ipſo Rege in ejus defenſionem diſertiſſimè peroratum. Nec dubitatum, quin ſuis eum ſuffragiis Proceres abſolverent. Spretis itaque ſolitis Curiæ methodis, Judicum pariter ac Teſtium perſonam ſuſtinent. Eum *accumulatæ Proditionis* reum faciunt; damnántque, non quòd in leges peccârat, ſed quòd voluerat peccare. Sic Criminis non perpetrati reus, novâ in eum finem ſancitâ lege, & poſt factum latâ, occiditur. At cautum nè decretum in exemplum traheretur. Lapſu quippe temporis, & in ipſos retorqueri Authores potuiſſet. Si verò juſta lex, quid in exemplo mali? Si injuſta, quare unquam proferebatur? Illi à Proceribus tandem aſſenſum; non arbitratis, ſe eâdem cum Rege ruinâ involvendos. Nec veriſimile, extortum à Rege imperium Magnatibus conceſſum iri. Interim ad inſaniam uſque in quinquaginta & novem Senatores tumultuatum, quòd à Rebel- *Damnatúſque.*

libus dissentiebant. Horum nomina, perenni monumento digna, postibus affixa Vulgi furoribus objiciuntur. In eos, tanquam publicos hostes, desævitum. Hos inter numeratur *Digbeyus*, Comiti *Bristolienſi* primò natus. Hic *Straffordio* infensissimus; perpensis tandem tot tantisque Innocentiæ argumentis, ejus Patrocinium mirabili Oratione suscipit. Imò usque adeò insanitum, ut ipse Hispanus Orator à colluvie plebis in ipsum, Religionis specie, ruente, *Londinensis Prætoris* auxilio vix eriperetur: Arbitratus Civilem brevi Statum occasurum, Juribus Gentium tam inhumaniter violatis.

At Rex, perspectâ Comitis innocentiâ, diutiùs obsiltit. Aspernatur Plebeias de Comite puniendo Vociferationes: Ratus ipsam Judicum opinionem, ambiguis tortam responsis, à metu ortam. Monente *Juxono*, *Episcopo Londinensi*, palamque suadere auso, *ne quid ullo pacto contra Conscientiæ dictamina ageret.* Quod à Rege sæpiùs, ad Reverendi Antistitis honorem, memoratum. Nec ab ullo flecti potuit Regis Constantia, nisi ab ipso magnanimo Prorege. Repetitis precibus literisque, tandem obtinuit ut moreretur. Fœlix fortunatúmque sibi cessurum

ceſſurum in animum induxerat, ſi præmaturâ nece cruentis hominibus faceret ſatis, ſimultatibúſque inter Regem & Populum victima caderet. Victus Rex, non perſuaſus, aſſenſit. Unde toto vitæ ſpatio, & in ipſo mortis tempore, ob faciliorem aſſenſum dolor & anxietas. Interim verò literis ad Parlamentum miſſis, ipſo Filio Principe internuntio, petiit, ut cum Juſtitiæ ſuo Parlamenti decreto aſſenſu ſatis datum, nunc ſuam haberet Clementia provinciam; licerétque Comiti, miſeram tandem vitam arctiori cuſtodiâ trahere. Id verò, niſi ſummo Regiæ Familiæ periculo, fieri poſſe pertinaciter negatum: quanquam creditum à pluribus, hanc Regi ſpem injectam, quo ejus aſſenſus quovis modo extorqueretur. *Occiditur, Maii 12. 1641.*

Cæterùm quem ſervare non potuit, huic parentavit Principum integerrimus. *Uſhero* digniſſimo *Hiberniæ* Antiſtite percontanti referente, *ſe multis è vita diſcedentibus adfuiſſe, at ſe tam puram animam Creatori redditam nunquam vidiſſe*, à lachrymis non temperabat. Sic cecidit Nobiliſſimus Comes, Prudentiâ, Fide, & Animi Magnitudine nulli ſecundus. Occidit poſtnato, ut diximus, decreto; poſthumâ rurſus ab *æquiori Parlamento*

lege latâ, reſtituto *Carolo* ſecundo, honoris ac innocentiæ gloriâ revicturus. Nec ſic uno Aſſenſu, idque eodem die, Rex ſe tantùm non perdebat, perdendo fidiſſimum & quibuſvis negotiis parem ſervum, & cedendo Comitiis quoad vellent (pulcherrimum Coronæ florem) *conveniendi recedendique arbitrium.* Miſerandam *Straffordii* fortunam excepit *Laudi*, totius *Angliæ* Primatis, anguſtior Incarceratio. Hic Eccleſiæ *Anglicanæ* acerrimus Vindex, è medio tollendus. Quippe convenire viſum, non minùs Sacrum quàm Civilem Ordinem extirpare; ſtrenuóſque utriuſque aſſertores, piis *Scoto-Anglorum* novantium fraudibus mactari. Nec ſatis ad imminuendas ſuſpiciones fictitióſque terrores, tantorum virorum præmatura Fata. Inexpectatis Conceſſionibus feroces, ad nova incitantur. Jam ſe timeri, viámque populi, quem ſui opinione impleverant, inſaniâ, ad altiora patere rati, Regem ipſum aggrediuntur. Hic, poſtquam è vivis exceſſiſſet *Straffordiæ* Comes, facilem ſe Ordinibus præbuit, ut nihil quod rogaverint illi, abs illo ſit negatum. Hinc *Camera Stellata*; Eccleſiaſtica Archiepiſcopi, ut & Concilii Borealis Curiæ abrogantur.

Aliæ,

Aliæ, ut *Stannaria*, *Ludlowenſis*, &c. anguſtioribus circumſcribuntur finibus. Monopolia penitùs damnantur. Navale Tributum, Portoria, Vectigalia maritima, à nullo antehac Regum relicta, abdicantur. Conſtituitur Parlamentum Triennale. Solùm ſupererat penes Regis arbitrium jus convocandi, dimittendíque Parlamenta; paratiſſimum in extremis Auxilium; optimum in deſperatis Remedium; Regum Angliæ maximum Decus & Ornamentum; ſumma Securitas. Hoc etiam, utì diximus, extorquetur. Præſens obtinet Conſeſſus, nè ab ullo niſi à ſeipſis dimittantur. Quid verò dignum tantis retulit muneribus clementiſſimus Princeps? Nihil aliud ſanè, præter inania glorioſi Principatûs ſomnia & promiſſa.

Scoti jam Regno, ipſiq; cui inſervierant Parlamento graves, domum mittuntur; at priùs exactis, quâ Stipendiis, Muneribus, Rapinis, Spoliiſque 12000. Libris Sterlingis. Admiratione poſteri ut & indignatione movebuntur, cùm ingloria legerint majorum facinora, Rebellibus, hoſtibúſque *Scotis* tanquam amicis blandientium. Expeditio non belli aut invaſionis, ſed conſpirationis nomine donanda. Adornantur *Scoti dimittuntur.*

tur ab Ordinibus, *Fratrum* appellatione Rebelles. Ab iis pecuniæ decernuntur. Memorantur ubique templorum in ſacris Eccleſiæ precibus, quos Rex perduellium nomine inuſſerat. Hinc patet quam in *Scotia* inchoaverant Rebellionem, eâdem methodo iisdémque artibus in *Anglia* progredi; in unum idemque *Anglis Scotiſque* conſentientibus. Minori enim ſumptu honoríſque jacturâ potuiſſent è finibus, ut hoſtes, arceri, quàm amicorum nomine in regno pudendâ aſſentatione retineri. Impudens verò riſúque dignum, quòd oneribus, quibus populi ingemiſcebant, ut jactitatum, ſublevandis, novum onus Provinciis impoſitum.

At belli Finis, nequaquam pacis Initium. Commentitiæ conjurationes in lucem prodeunt. Periculorum rumores plebis auribus quotidiè inſonant. Atque ità Incendiarii multitudinem occupant, ut formido unumquemque invaſerit; puténtque ſe brevi à Rege & Pontificiis obruendos. Timori incrementum datur effecto Sacramento quodam, *Proteſtationem* vocabant, quo Religionis, Regíſque defenſioni obſtringebantur. Res primo aſpectu eximia; intùs verò veneno ubique ſcatens. Editur inſcio Rege. Subſcribitur

ſcribitur ab innumeris, quibus tantus pavor inſitus, ut licèt intrà fori que nullus hoſtis, non bellum aliquod; tamen præſentem, quanquam abſconditam, Internecionem formidarent. Subdola admodùm interpretatio *Proteſtationi* addita. *Ea nempe verba, quibus Reformatæ Religionis doctrina videbatur aſſeri, nullo ad aliquam cultûs, diſciplinæ, regiminis, rituum formulam modo ſtabiliendam intendi: at eo ſolùm ſenſu intelligenda, quo Pontificiorum Dogmatibus adverſantur.* Quibus planè perſpicitur *Hierarchiam* ab Eccleſia, ſimul & *Liturgiam* explodi. Hæc *Proteſtatio Scoto-Anglorum* (*l*) *Fœderi*, tantorum origini malorum, ceu Prodromus viam fecit.

(*l*) The Covenant.

Circa hoc tempus exauctorati in *Angliâ Hiberniâque* exercitus, atque ita bello bellique rumoribus finis. At nè *Hiberni*, qui in Scoticam expeditionem conſcripti ad octo millia numerabantur, in res novas ruerent; eos Rex *Gallis Hiſpaníſque* tranſportandos permiſit. Illud verò à Comitiis impeditum, adnitentibus ipſis *Hiberniæ* delegatis, à quibus in *Straffordi* necem conſpiratum; decretúmque, ut tum tem exinde Rebellioni diu meditatæ, gregariorum acceſſione militum afferrent.

Ab-

Rex Scotos in patriam sequitur.

Abeuntes *Scotos* Rex in *Scotiam* sequitur. Hic, quod in *Anglia* extorserant, ratum esse jubet. Novis additis muneribus. Nihil negatum quo sibi ingratos devinciret. Pacatâ tandem *Scotiâ*, Rex in *Angliam* revertitur. Ibi inter festas Civium acclamationes *Londinum* intrat; à Prætore & Patriciis, cum Regina, filióque Principe, omni pompâ & apparatu exceptus. Infremit verò Parlamentum, in quo alios Fanatici triumphos adornant. Eos Rex convenit, narrátque quid in *Scotia* gestum. *Affirmat sedatos* Scotorum *animos nunc pace frui. Dolet* Angliam, *non ità ut speràrat, quietam, terriculamentis suspicionibúsque laborare. Miratur utramque domum militibus præter solitum stipari. Sibi ipsi gratulatur de sibi subditorum fide reduci expertâ. Præteritis tot tantísque in eos jam præstitis beneficiis. Promittit se nihil pro Religione, pro Libertate non acturum. Queritur res* Hibernicas *tam lento gradu progredi. Offert omnem industriam, conatus omnes ad perdomandam gentis barbaræ duritiem. Obtestatúrque, si quid sibi charum, si quid sibi dulce, ut debito* Hibernos *obsequio redderet festinent.* At surdis canit. Eum jampridem

dem in *Scotiam* abeuntem morati, rè exercitus nondum dimiſſos ſui juris faceret, Scoticúmque Parlamentum nimiùm ſibi devinciret. Palàm verò auſi Regem urgere, ut *Cuſtodem Regni* ſubſtitueret, à quo, Anglorum more, Regius Parlamenti decretis aſſenſus daretur; *Eſſexio* Comite non obſcurè deſignato. Introſpecto Rex conſilio, nè Majeſtatem proſtitueret, prudenter renuerat. Nec utcumque rogatus adduci potuerat, ut *Pembrokium* Comitem Regni Seneſcallum admitteret. *Eſſexium* tamen militiæ, cum poteſtate militem cis *Trentam* conſcribendi, præfecerat. At moræ impatiens Novatorum turba, *Manifeſtum*, abſente Rege, efformaverat; quo quicquid in ſtatu peccatum, Regiis Miniſtris, ſolito calumniandi more, aſcriptum. Cæterùm *Carolus*, cui incœptum non latebat, haud ignarus quantùm ingenioſa apud Vulgus Calumnia valeat, Senatum, ut prædictam declarationem ſupprimeret, rogârat; non quòd veritatem, ſed quòd plauſibilis malitiæ virus vereretur. Nec tantillum Regi ſuo obtemperare voluere modeſti homines, unde regia in contrarium reſponſio; quâ rem penitùs introſpicienti viderentur ipſi Ordines calamitatum Authores;

ne-

negatis ſubſidiis, quibus & bellum foris fortiter gereretur, & domi cuncta fœliciter cederent. Hinc ea non minùs æqua æquis, & juſta, quàm monſtroſus iſte Libellus falſitate & impoſturâ fœcundus exiſtimabatur.

At Clementiâ à contumacibus invitum verſâ, Rex ad ſeveritatem vertitur. Quinque Inferioris Domûs Incendiarios, & Superioris unum, proditionis inſimulat; & judicio ſiſti requirit. Seriùs verò id actum quàm par erat. Horum machinationes, dum in Scotia, edoctus, ſperaverat tempeſtatem tempore & indulgentiâ fractum iri. Sed cum id fruſtrà, miſſo ad Inferioris Domûs homines nuntio, læſæ Majeſtatis accuſarentur. Tantùm autem abeſt ut Regi obſequerentur, quin imo ab ipſis ſtatutum; *Ne quiſpiam cujuſcunque ſortis, quempiam auderet Senatorii ordinis virum, Comitiorum injuſſu, quâvis de cauſſâ aut detinere, aut in carcerem trahere.* Obliti fui antehac decreti, quo, cùm *Georgius Ratcliffius* Eques in Curiam vocaretur, cautum, *Ne privilegia Parlamenti, ſi de Læſa Majeſtate ageretur, cuivis uſui forent.* Rex igitur ſolus Inferiorem Domum ingreſſus, ipſemet accuſatos

Rex quinque Inferioris Conſeſſus, & unum è Proceribus perduellionis poſtulat. Jan. 4. 1641. viz.
Hollis.
Haſlerigg.
Pim.
Hambden.
Strode.
Kimbolton.

accuſatos legibus tradi poſtulat. Objectum inter alia crimina, quòd

Leges evertere tentâſſent,
Scotos *ad invadendum Regnum allexiſſent,*
Tumultus & ſeditiones excitâſſent,
Civium animos à Rege ſtuduiſſent amovere, &c.

At Comitiſſæ (*m*) *Carleolenſis* perfidiâ moniti, Regis adventu non expectato, ſe periculo ſubduxerunt. Poſtquam in Aulâ *Weſtmonaſterienſi* deſtituiſſent, in urbem recepti, armatæque Plebis ſatellitio ſtipati, ovantes in Conſeſſum revertuntur. Haud credibile quàm pervicaciter in Regem invectum. Actum jam de Parlamenti privilegiis: Nunquam talem tantæ Curiæ à quovis Regum vim illatam; (haud memores nuſquam Proditioni Aſylum.) Creſcebat in immane tumultuantium licentia, inſtigantibus Puritanis. Rex ipſe vix tutus, in cujus currum, dum per urbem veheretur, projectus à *Walkero* Myſtello quodam, qui & ferramenta vendebat, famoſiſſimus ille libellus, cui titulus, *Ad Tentoria tua O Iſrael*; ejulante indeſinenter plenis faucibus concitatâ multitudine, *Privilegia*

(*m*) Carliſle.

gia Parlamenti, *Privilegia Parlamenti.*

Senatores interim Conſeſſum in urbem transferunt: Quo cunctis innoteſceret, à civibus ſaltem crederetur; Ordines *Weſtmonaſterii* in tuto non eſſe. Ideò, ac ſi ad ſui defenſionem cogerentur, incitatâ ad furorem Plebe, Militem à Rege efflagitant; ducémque poſtulant *Eſſexium*; imminentibus, ni concedatur, inſidiis neſcio quibus perituri. Rex verò vanos terrores aſſerit. Se ipſum ſalutis vadem & ſponſorem offert. Ducentos ex urbanis militibus ad eorum ſecuritatem vocat; Duce *Linzeo* Comite, cui & Comitiorum ex officio cura: quod ab iis rejectum, accerſitis duobus aliis, ſub *Skipponi* ductu Puritanis mancipati. Peditum ſignis. Quin etiam facto tumultuantium de integro impetu, furens hominum Colluvies Aulam Regiam & *Weſtmonaſterium* advolat. Epiſcopos Regíque fidos è Conſeſſu arcent. Nec ab ipſa Regis Majeſtate temperatum: Dum alii Principem meliùs regnaturum clamitant; alii Regem Proditorem eſſe, nec vitâ dignum vociferantur. Uſque adeò crevit Inſolentia, ut nonnulli qui tunc aderant Generoſi, & exauctorati copiarum Duces, ſtrictis

vulgus

vulgus gladiis repellere coacti. Atque hinc honoris, quod apud Rebelles opprobrii nomen [Cavaliers] Regiis primò inditum.

Fervente tumultuantium rabie, *Episcopi*; ob immotam erga Regem Regnúmque fidem, contumeliis, dicteriis, minis impetuntur. Proculcatâ sacri Ordinis reverentiâ, ab ingrediendâ Curiâ impediuntur. Nec sine gravi periculo elapsi, à Consessu prorsùs abstinent; at exhibitâ priùs contra quasvis Procerum, iis absentibus, Sanctiones *Prot-station*e. Ægrè id ferebant Comitia; quippe contra, ut clamitabant, Parlamenti Privilegia factum. Eos igitur Custodiæ mandant, è Superiori posteà Conventu, ut & Episcopatum ipsum, excludendos. *Episcopi incarcerantur.*

Nec sic tumultuum finis. Quovis strepitu perterrita Comitia, periculum (nescio quod) somniant. Vigilias per *Westmonasterium*, duplicato militum numero, excubare jubent. Sic credulis palpum obtrusum; incuriosisque nonnullis, probis aliàs viris, illusum. Hinc geminati terrores, discurrentibus per vicos & plateas serâ jam nocte Emissariis. Ad arma omnes Clamoribus & horrendo Boätu excitantur. Regem mox *Tumultuantur Londinenses.*

Pontificiorum ſtipatum exercitu, ad delendam urbem adfuturum clamatur. Suſcitati truci claſſico Cives, horrore cuncta & armorum ſtrepitu implent. Quadraginta millia hominum momento temporis armati numerantur. Alii Equitibus moram facturi, vicos ſcamnis, ſellis, cupis, cadis, doliis, &c. id genus, obſtruunt. Ipſæ ferventem aquam mulierculæ in tranſituros parant. At hæc, hoſte nuſquam viſo, in fumum abiêre.

Rex effrænatam furentium libidinem, à ſeditioſis auctam Senatoribus, cùm ſedare non poſſet, omnibus fruſtrà tentatis; relictâ tandem urbe, ſe cum Regina & Liberis (*n*) *Hamptoniam* ſubducit. Fatale, utì eventus docuit, conſilium! Et profectò cunctis admirationi erat, quòd Rex civitatem, ſuam *Prædeceſſorúm*que Sedem, amicis & clientibus frequentem, divitiis & omni re militari abundantem, locúmque bello & paci idoneum relinqueret, ſe in Provincias rerum omnium vacuas recepturus. Excuſatus verò receſſus, partim timore, qui amicos, Regiam familiam, ipſiúſque eorum gratiâ animum inſederat; partim ſpe quòd brevì inferioris Conſeſſûs motus deferveſcerent. Nec defuêre, qui Regi fortiter

(*n*) Hampton-Court.

Rex ſe Hamptoniam *ſubducit*, Jan. 10. 41.

ter adeſſent. A multis, tàm propriâ ſponte quàm *Gurnæi* Prætoris monitu, tumultuantibus immixtis cautum, nè quid ſacra detrimenti Perſona caperet. Quin tota juvenum Societas, quæ in ædibus (vulgò Gray's-Inn) legum ſtudiis invigilabat, ſe in ſatellitium Regi & corporis cuſtodiam, præeunte *Gulielmo Maſone*, Equite aurato, obtulit. At plebeios impetus cedendo fractum iri exiſtimans, beneficium gratus renuit. Nolebat quippe Author belli videri.

Hiſce vix peractis, à Parlamento oritur Decretum: quo, *ſeditiones ubique & ſuſpectos conventus cohibendi; armorum, bellicorumque inſtrumentorum genus omne intercipiendi poteſtas datur.* Sic putabant timoribus, quos populo injecerant, fidem conciliari. Inter alias terribiles nugas affirmatum, *Digbeyum* Regulum, & *Lunsfordium* Tribunum cum equeſtribus Copiis (unico ſcilicet conducto Curru) apud *Kingſtoniam* viſos. Dein Ordinum Legati Regem *Royſtonam*, ubi ſeceſſerat, ſecuti, audacter *Arcem* ſibi *Londinenſem*, *Munimenta*, Regni *Militias* tradi poſtulant: à Rege demùm *filium Principem Hamptoniæ*, vel in (o) *ædibus Jacobæis* relinqui. Obſidii loco cre-

(o) Saint James's.

das, quanquam id garrire non auſi. Rex non ignarus ſupremam in *Militia* poteſtatem ſitam, fortiter adverſatur, nullis in contrarium unquam movendus argumentis. Hinc *Manifeſtum* prodit, quo gravaminibus, terroribus, *&c.* id genus uſque ad nauſeam repetitis, eadem rurſus inſolenter poſcunt. At, iis iterùm eàdem conſtantiâ negatis, vim experiuntur. Nec abſurdè: Criminum enim perpetratorum conſciis, nulla niſi in bello ſalus. Occupatâ igitur claſſe, cui tunc præerat Comes *Warwic nſis*, *Hullam* oppidum munitiſſimum præſidio firmant; nè quod illic ſervabatur inſtructiſſimum Armamentarium Regi inſerviret. Id Principi ingreſſum imperanti, ab ipſo Præfecto inſolenti facinore, & apertâ obſequii detrectatione clauſum. Hic eſt ille (*p*) *Hothamius*, infœlicis perfidiæ infœliciſſimum Monumentum; qui ab uno facinore in aliud lapſus, gravis adeò flagitii, ut infrà videbitur, ſuo & primò nati capite pœnas dedit; ab iis ipſis, in quorum gratiam tam pervicacit.r inſanierat, crudeliter mulctatus.

(*p*) Sir Jo. Hotham. *Rex* Hullâ *excluditur*, Apr. 23. 1641.

Jactâ hoc modo ad *Hullam* belli aleâ, in arma, partes, & furias ruunt. At, nè deeſſet æquitatis larva, cauſa utrinque

trinque Scriptis & Libellis apologeticis defenditur. De his quæ extant hoc unum addam; quòd ut Regi cauſa juſtior, ita accuratiori calamo aſſerebatur; aliunde utcumque adverſis ſucceſſibus obnoxia.

Nec in *Anglia* tantùm feralia diſſidia. *Hiberni*, *Scotorum* deteſtabile exemplum ſequuti, qui quodcumque ab iis poſtulatum armis obtinuerant, eos in eo tantùm anteibant, quòd crudeliùs rebellârint. Mirum, quantâ induſtriâ tegeretur immane Nefas; quod haud proditum, niſi centum utriuſque ſexûs & ætatis millium carnificinâ. Abſit ſiniſtra de imperantibus ſuſpicio: At ſupinitatem vix excuſare fas eſt, quandoquidem tam univerſalis Conſpiratio, ſub eorum oculis iniri, foveri, & in actum tandem deduci potuerit, nullâ vel minimâ prævià rei detectione. Monuerat Rex *Parſonſium* & *Bourlaſium* Regno Præpoſitos, literis ante ſex menſes ſcriptis, *Hibernos* res novas meditari. Id à ſuis apud exteros Legatis didicerat. Clandeſtinos concurſus & conſilia inter *Hibernos* agitari, *Gulielmus Celeus* Eques Judices Regni certiores fecit; duodecimâ ſaltem ante E-

Conjuratio Hibernica, Oct. 23. 1641.

ruptionem die. At, nullâ horum ratione habitâ, tanta *Britannos* per *Hiberniam* rerum fiducia & ſecuritas invaſit, ut in ſuam ipſi videantur conjurare perniciem. Concordia enim inter Gentes connubiis, affinitatibus, aliiſque amicitiarum vinculis firmata. Nec abſque periculo tantùm, ſed etiam metu degebant. *Hiberni* tamen Libertatis aſſerendæ, Anglicúmque excutiendi jugum tempus arbitrati, occaſionem avidè arripiunt. Occiſo *Straffordio* Prorege, dimiſſóque quem conſcripſerat exercitu, aut Libertatem, aut novas ſaltem Immunitates ſibi pollicentur. Nec rationi diſſonum, Conjuratores Anglicanos *Hibernis*, ut olim *Scotis*, occaſionem conjurandi præbuiſſe. In Romanos enim ritus, quos à majoribus acceperant, Parlamento in *Anglia* atrociter ſæviente, ſuas etiam vices metuebant. Id præſertim timorem auxit, quod à quibuſdam Comitiorum aſſeclis aſſertum; *Hibernos non tam Bibliis quam Gladiis ad fidem convertendos; Extirpandam Religionem & Gentem: Nullúmque intra anni ſpatium Papiſtam in hoc Regno ſuperſuturum.* Itaque exiſtimatum à multis, *Hibernos* ab Anglis ad arma coactos,

coactos, compulſóſque ; quo Rebellionis causâ deleri penitùs, funditúſque everti poſſent. Alias ab iis afferri cauſas, ut oppreſſionem, gravamina, læſa *Privilegia*, & alia id genus non inficias ibo. Quod verò Regem ſe júſque Regium vindicaturos aſſererent, hoc ipſis cum Parricidis *Anglis* commune. Quicumque conjurantium prætextus, veriſimile illos non ultrà verborum modeſtiam progreſſuros, niſi inextricabilem inter Regem & Parlamentum ſeceſſionem præſenſiſſent.

Initæ conjurationi, jamque ad maturitatem perductæ, Magnates ferè omnes, & univerſa *Pontificiorum* turba manum dedêre. Portentoſo itaque ſilentio omnes Regni urbes, oppida, munimenta uno eodémque die impetuntur, plerumque & occupantur. Nec cuiquam parcitum ; ſcelerati, nullo habito ſexûs vel ætatis diſcrimine, Gentis & Religionis *Anglicanæ* homines, tanquam devota capita, trucidant. Cuncta rapinis, incendiis, & infinitis cædibus permiſcent. *Dubliniam* rerum & regni Caput non intercipiunt. At interceperant, niſi tempeſtiva cujuſdam *O Conallii* Infidelitate proditi. Hic, vel ſceleris a-

trocitate perculſus, vel præmii magnitudine permotus, totam Conjurationem aperit. (*q*) *Londinum Hiberniæ*, *Colrania*, *Drogheda*, arreptis armis, periculum repulêre. Hinc bellum longiùs protractum, crudeliſſimum juxtà ac internecinum. *Dublinia* interim, ut & arx Regia, ubi arma aliíque bellici apparatus ſervabantur, firmantur præſidiis. Die proximâ *Hugo Macmahon Tyronii Comitis* nepos, qui *O Conallium* in facinoris ſocietatem incautâ providentiâ aſciverat, interceptus, coram Senatu Regio ſiſtitur. Ibi intrepidè Conſpirationem faſſus, eam ubique Regni graſſari gloriatur. Agnoſcit penes eos eſſe, utrùm vivat, nec ne; cæterùm necem ſibi illatam non inultam fore. Capitur & *Macquirius Baro*, alter facinoris Coryphæus, inſignioribus aliis præſertim elapſis.

(*q*) Londonderry.

Inter hæc Cives aliíque, quorum dubia fides, armis exuuntur. Mittuntur per Provincias nuntii, vocantúrque omnes, ut, armis in ſui defenſionem captis, vim vi repellant. Acceptis Regii Senatûs literis, Procere; (*r*) *Anglici-Circuitûs*, (hoc nomen inditum iis, qui à *Britannis* originem ducunt) Senatum adeunt; fidem

(*r*) English Pale.

fidem obteſtantur; operam ad perdomandos Rebelles ſpontè offerunt. Iis fidebatur, quippe non fidere vix tutum; additâ copiâ militem in ſui præſidium conſcribendi.

Stationarii Milites, quorum equites minùs mille, peditéſque duo tantùm millia, jacebant per munimenta diſperſi; occupatis plerumque ab hoſte viis, conveniri nunquam potuerunt. Ad hæc, multi propter Religionem transfugæ; intercepti multi; adeò ut pauci *Dubliniam* pervenerint. Urbs verò ſtrenuo labore communita, additis operibus, excavatis foſſis, fugientibus ob inauditam perduellium ſævitiam, immanémque Barbariem impletur. Ex his, ut ex vicinis *Anglis*, duæ conſcribuntur legiones. Una *Tichburno*, altera *Cootio* Equiti creditur. Uterque, hic *Dubliniæ*, ille *Droghedæ* primariis partium urbibus, præeſſe juſſus.

Miſerat in *Scotiam*, ubi Rex tunc temporis, ut & ad Parlamentum *Weſtmonaſterii*, literas Regius Senatus. Conſpirationis initium, progreſſúmque narrat; præſénſque implorat auxilium. Rex Nuntio ſummè perculſus, omnem operam ſe navaturum promittit. *Scotico*

tico Rem Parlamento exponit. Opem in tantis rerum anguſtiis enixè efflagitat. Miſſis ad utramque apud *Weſtmonaſterium* Comitiorum domum Nuntiis, Ordines adjurat, jubétque, ut, adhibitis omnibus & Armorum & Conſilii viribus, Rebellioni obviàm eant; *Proteſtantéſque* ſibi ſubditos ab imminenti calamitate liberent. At nullum ſortita effectum Regis deſideria. *Scoti Hiberniam* Angliæ ſubditam cauſati, ſe nihil, inſcio *Angliæ* Parlamento, aggreſſuros reſpondent. Angli Regiam ſimul in tribus Regnis auctoritatem impeti ſibi gratulantur. Interim Rex, facultate licèt bellum proſequendi Ordinibus datâ, ipſe in *Hiberniam*, modò adſint ſtipendia, cum decem mille militibus à ſe conſcriptis tranſitum parat. Nec potuit flecti. Renuit Parlamentum. Verentur nè, ſubjugatis Perduellibus, ipſis Comitiis formidabilis evadat læſus ſimul & armatus Princeps; ſuorum magìs timorum quàm *Hiberniæ* calamitatum ſenſu affecti. Magnam tandèm militum, ſtipendii, bellicíque apparatûs copiam tranſmittendam decernunt. Quod verò ſeriùs decretum, actum & remiſſiùs. Retardata tanto ſtudio auxilia, ut, ingruentibus ſeditioſis tùm Diſputationibus, tùm

tùm Querelis, res planè evanuerit. Calamitoſa interim *Hibernia* omnium in ore, nemini verò curæ erat; iis propiùs occupatis, ſuarúmque rerum domi ſatagentibus. Ultrà enim non progreſſum; niſi quòd in moram, cujus ipſi cauſa, acriter invecti, Regem ipſum tot tantarúmque miſeriarum auctorem facerent. Quantus verò optimo Principi, populi incolumitatem adeò ſitienti, dolor, vix exprimi verbis poteſt.

Clamoribus anſam dedit inſolens juxtà ac riſu digna occaſio. Servabatur in *Caroli-montis* arce vetus quoddam Diploma olim *Baroni Caulefido* conceſſum, Regióque munitum ſigillo. Ab *Hibernis* rebellantibus occupatâ arce, in partem ſpolii Diploma *Philimo Oneal* cecidit. Huic cùm ſigillum avulſiſſet, fictitio cuidam Diplomati appoſuit; *Hibernóſque* alloquutus, ſe Regis non tantùm nomine, ſed juſſu etiam dixit acturos: Atque ità à multis creditum, Rebellionem à Rege ipſo imperatam. Devictâ deinceps *Hibernià*, captus *Onealius* rem totam aperuit. Interrogantibus ipſis Judicibus, *cur deteſtandis artibus popularibus ſuis fucum feciſſet?* Audacter reſpondit, *ſe immeritò redargui, quòd operam omnem navaverit*

verit

verit ad eam, quam ſemel amplexus, cauſam promovendam. Hic *Onealius* Rebellium primus, incredibili barbarie ubique graſſabatur. Huic tamen vitam & opes obtulerunt *Angli* Parricidæ, ipſâ in eum latâ ſententiâ; *Modò Regem conceſſi ſibi Diplomatis acuſaret.* At ſeu promiſſorum diffidentiâ, ſeu conſcientiæ aculeis motus, nè mendaciis vitæ finem imponeret, fortiter retulit; *Conſcientiam præteriti memoriâ ſceleris jam ſatis oneratam; ſe, Regem Calumniis afficiendo, novum crimen perpetraturum.* Cùm patibulum aſcendiſſet, expeditus à *Procuratore Cromwelliano* nuntius, adſtantium coronam magno impetu & clamore ingreſſus, eadem iterùm offert. At ille, *Gratias*, inquit, *pro oblatâ veniâ; ſed Deum teſtem invoco, ſanctos Angelos, totúmque adſtantium cœtum, quòd nulla unquam à Rege mihi data bellì gerendi, perpetratorúmque à me in bello ſcelerum facultas.* Nec huic tantùm, ſed & aliis adblandiebantur Vitæ, Libertatis & Opum pollicitationibus. Hos inter *Macquiriu Baro* & ipſe moriturus negavit, ſe talem unquam à Rege licentiam habuiſſe. Majori ſanè conſcientiæ in homine facinoroſo Religione, quàm in ſceleratis inquiſitoribus ex-

expectatum. Sic *ab hoſte*, ut ipſius Regis verbis utar, *fel & acetum falſitatis & contemptûs, poculo afflictionum ejus exquiſitâ malitiâ commixtum.* *Libr. medit.* Εἰκὼν Βασιλ.

Hiberniæ Præfecturam *Leiceſtriæ* Comiti Rex jam priùs demandaverat. Hic ab *Hibernis* invitatus, & ab ipſo Rege ſæpiùs monitus, noluit periclitari tàm ominoſâ expeditione. Equidem Parlamenti tergiverſationem perſpexerat. At, nè provinciam prorſùs deſereret, *Ormondiæ* Comitem, honore & fide inſignem, Legatum denuntiat; cui & à Rege, optimo hominum & ingeniorum Judice facilè aſſenſum. Hic poſteà toti *Hiberniæ* Præfectus; éſtque id munus ab ipſo immortali Conſtantiâ, Fortitudine, & Prudentiâ geſtum. *Dubliniam* appulſus validâ Equitum manu, deſpondentes Civium animos excitat. Regium adhortatur Senatum, ut exercitum quàm citò utcumque modicum conſcribant; at fruſtrà. Cæterùm Conjuratores, ejectis, ſpoliatis, ſubmerſis, & omnimodâ lanienâ, & carnificio trucidatis ubique Proteſtantibus, longè lateque ſæviunt. Delatum ab iis *Philimo Oneal*, de quo ſuperiùs, ſummum armorum imperium. Hic *Tironianæ* familiæ Princeps in *Anglia* nutritus, Religione

gione reformatâ, quam brevi deſeruit, educatus; haud aliter ductu, vel virtute inſignis. Hujus tamen fortunâ *Dundalka* cadit. *Drogheda* oppidum terrâ marique Obſidione cingitur. *Tichburnius* Gubernator, hoſtium apparatu miniſque anxius, è *Dublinia* copias obtinet, ſexcentos Pedites, duce *Ropero*; quibus & Equites quinquaginta, ductore *Patricio Weems*, adduntur. At, dum ſecuriùs agunt ad *Julianum pontem* nebulis obvoluti, ab *Hibernis* intercipiuntur. Elapſis equis, hic *Droghedam* cum ſuorum vix centum; ille *Dublinia*m feſtinat. Fidem ſuperat, quantùm *Hibernorum* animi hoc ſucceſſu elati. Qui priùs hæſitaverant, ex eo partibus adjunguntur. Imò ipſi *Anglo-Hiberni* Proceres, ferventibus inter Regem & Parlamentum diſſidiis, obſequium exuunt. Intellexerant *Hibernorum* prædia vel funditùs evertenda, vel ſubjugatis incolis, inter *Anglos*, cuivis, pro ratione pecuniæ in uſum belli creditæ, dividenda. Nec in Rebellionem tantùm, ſed in Rebellium Religionem animadvertendum. Pro aris itaque & focis, pro vita (nam nulli in *Anglia Hiberno* parcitum) pugnare ſe obteſtantur. Nec rebellionem, ſed neceſſariam in extremo diſcrimine

mine verſantibus defenſionem, vocant. Non interruptis ſucceſſibus audaces, habitâ ſacramentorum Religione, Populares obſtringunt. Cunctæ denique Regni Provinciæ, Clero & *Confeſſariis* libertatem & cœlum promittentibus, in furias ruunt. Nullus Regni angulus ab infectione liber. Nec tamen adeò ubique rebellatum, quin è Nobilibus nonnulli fidem Regi intemeratam ſervaverint. Nec tàm crudeliter, quin ab ipſis immanis tragœdiæ actoribus, Proteſtantium multi non tantùm defenſi, ſed & victu, libertate, amictu donati domum redierint.

Conjuratores, numeris jam valentes, tandem Reipublicæ ſpeciem inſtituunt. Electis igitur ſex ex unaquaque Provincia primariis viris (quibus *Caſtelli-Portûs* Comes, è *Dubliniæ* cuſtodiâ nuperrimè elapſus, ſuperadditur) Conventum è viginti quinque, *ſupremi Concilii* nomine indito, erigunt. Hiſce, exacto ab omnibus *Aſſociationis* ſacramento, ſumma in omnes poteſtas conceſſa. Magnum ſibi ſigillum fingunt. Pecunias cudunt, exigúntque. Publica Regni munia diſtribuunt. Inter alia, quatuor Regni Provinciis totidem armorum Præfectos imponunt: *Præſtonium*, ſcilicet, *Lageniæ*, *Berreum Mamoniæ*, *Owenum*

Owenum Onealium Ultoniæ, et *Conaciæ Burkum*; ſervato Ordinibus Generalibus, prout res poſtularet, *Pacis & Belli* jure.

Prodit deinde *Manifeſtum*, quo ſe ad arma ruiſſe declarant, ut Religionem, Immunitates, Privilegia Regiam præſertim *Prærogativam* tuerentur. Egregium poſteà *Anglis* exemplum. *Scotis* verò diù parcitum; quippe *Scotiæ* viciniam verebantur. Nec ferebant duobus ſe bellis eodem tempore implicari. At proſperitate tumidi ſecuríque, eâdem ac in *Anglos* feritate, *Scotos* populantur, & omnimodo cruciatu torquent.

Res interim apud *Droghedam* non ex voto ceſſêre. Oppidum utcumque ab extrà fortiter, ab intùs verò dolo oppugnatum (Cives quippè hoſtibus plerumque favebant) capi non potuit, obſeſſorum virtute defenſum. Dein, appulſâ ex *Anglia* validâ Peditum legione, duce *Simone Harcourt* Equite, obſidium ſolvitur. At non impunè, extrema abeuntium agmina intercipientibus *Tichburnio* & *Moorio Barone*.

Graviùs *Hiberni Dulliniæ* imminebant. Circumjacentem regionem impleverant, obſtructo inter urbem vicinóſque pagos commercio. Qui *Lageniæ* inſederant,

rant ad viginti mille numerabantur. At defuêre ſcientiæ militaris Peritia, & imperatoriæ Artes. Sic multitudine, non prudentiâ pugnatum. *Angli* verò Armorum periti, paucis admodùm ex *Angliâ* Subſidiariis aucti, hoſtem non tantùm opponere, ſed & laceſſere auſi. Hinc, veteranis in inconditam & malè armatam Militiam ruentibus, multæ victoriæ. Nec minor in *Britannis* quàm in *Hibernis* Immanitas. Crudelitatem crudelitate ulti, plurima indigenarum millia Flammis, Ferro, Direptionibus, Ruinis interimunt. Agrum cultiſſimum ſolitudinem faciunt, non minùs ſuo quàm hoſtium damno. Hinc enim famis, penuriæ, omníſque calamitatis initium. Ingruente in *Angliâ* diſcordiâ, Victus, Amictus, Stipendia, nitratus Pulvis, cæteráque belli Nutrimenta, fruſtrà à Parlamento jam Rebelli expectantur. Sacrilegi novatores 100000 libras *Anglicas* in *Hiberniam* mittendas arripuerant. Claſſi manus injecerant. Quinque mille milites in Proteſtantium auxilium conſcriptos, duce *Whartono*, primario partium Pugili, diverterant. Nec in *Hiberniam*, ſed *Kerreyo*, *Forteſcutio*, aliíſque, belli in Regem promovendi cauſâ miſerant. His perpenſis, Milites, ut & Belli

& Senatûs Proceres, Regem ſupplici libello adeunt : rogántque miſſionem in alia caſtra, ubi cum quovis hoſte præter famem concertaretur. Additis inſuper minis, ſe aliàs propriæ, juxta primariam ſupremámque Naturæ legem, ſaluti proſpecturos. Itaque, cùm nulla Regi ſupereſſet via, quâ tantis Calamitatibus eriperentur, in mandatis *Ormondiæ* Comiti dedit, ut Ceſſationem ab armis in anni ſpatium cum *Hibernis* paciſceretur : Præſidiarios milites in Munimentis relinqueret : Reliquos verò ter mille in *Scotos* mitteret. Hi nempe *Angliam* invaſerant, formidabili, ut ſuperiùs dictum, exercitu. Conſilium laudibus & vituperiis exceptum. Qui inducias militúmque transfretationem improbabant, cauſabantur *hinc Regi infamiam, Rebellibus verò emolumentum creari.* Rem verò penitùs introſpicienti occurrebat, ſatius Regi fuiſſe, *civem ſervare quàm hoſtem perdere. Id potiſſimùm Principi incumbere, ut ſemet ipſum tueatur : Non adeò formidabilem* Hibernum *qui, pacato ſemel Regno, facillimè ad obſequium vel rediret, vel cogeretur. Majus verò à Puritanis periculum, qui, in ipſis Regni viſceribus, ruinam Sceptro*

Reli-

Religioni, Principi ipſi minabantur. Inducis tandem in pacem verſis, *Ormondus* jam *Marchio* & *Legatus*, magnâ Procerum & militum manu ad † *Fanum Canici* proficiſcitur. Huic ſummo honore à ſupremi Concilii *Delegatis* excepto, traditur Reipublicæ, quam hucuſque geſſerant, adminiſtratio. At ſperatam tranquillitatem atrox brevi tempeſtas accèpit. † Kilkenny.

Hiberni, nec bello fortes, nec pace fidi, inducias frangunt. Putant ſe, militis *Anglicani* diſceſſu, occaſionem totius *Hiberniæ* potiundæ nactos. Id ſuaſerant fervidiores Indigenæ; ipſo Romani Pontificis Nuntio, *Firmæ* Epiſcopo, adnitente. Spem auxerant nuperi cum *Scoto-Hibernis* ſucceſſus. Ii ſpretis induciis, quibus noluerant includi, bellum vario Marte protraxerunt; quod *Hibernis* non infœliciter ceſſit. Conjunctis itaque viribus, *Dubliniam*, quâ terra patet, obſidione cingunt, occluſo Parlamentariis navibus portu. Huc ſe receperat *Ormondus*. At tot hoſtibus impar, omníque ſuppetiarum ſpe deſtitutus, Regem de præſenti rerum ſtatu certum facit. Jubet Rex, Civitatem, cùm ſervari non poſſet, Parlamento potiùs, licèt hoſti, quàm *Hibernis*

tradi. Hinc patet quàm inanis Calumnia de inita cum Rebellibus *Hibernis* Societate. Itaque *Joneſius* Tribunus in urbem cum mille Peditibus, Equitibus verò quingentis admiſſus, ei præficitur. *Ormondus* in *Angliam* reverſus, Regem in Palatio *Hamptonienſi*, ſed Parlamenti exercitûs captivum, invenit. At inſidias veritus, clàm ſe in *Galliam* ſubducit; ubi & vixit, donec territi *Anglorum* apparatibus fœderati *Hiberni*, ſcriptis ad *Carolum Walliæ* Principem literis, ejus reditum impetrârunt. Hæc licèt diverſis temporibus acta, ſemel & ſimul, nè interrumperetur Hiſtoriæ filum, memoriæ tradidi; tantorum in ſuo loco tumultuum continuationem infrà enarraturus.

Fervet in Anglia *armorum ſtrepitus.*

Interè hæc fervet in *Anglia* armorum ſtrepitus, pulſo apud *Hullam* Rege. *Hothamii* motus inſolentiâ Rex, eum læſæ Majeſtatis reum Edicto denuntiat. Id adeò impatienter ferunt Ordines, ut Parlamentorum Privilegia violari, ubique clamitatum. Quaſi verò ſibi ſubditorum immunitates Princeps invaſerit, qui ſubjectam ſibi urbem, armamentarium ære proprio comparatum, vendicârit. Imo è ſuis quoſdam *Eboracum* mittunt;

à qui-

à quibus liberè adeò fælicitérque res peractæ, ut exercitûs in eâ Provinciâ cogendi opportunitatem Rex penitùs amiſerit. Præſidiarium tamen ad Corporis cuſtodiam Militem conſcribit; ulteriores infamiæ notas veritus: Scilicet, *Hothamii* facinus Comitia approbavérant. Hoc accenſi Ordines *Manifeſto* declarant, à *Rege bellum in eos ſuſceptum.* Obliviſcuntur honeſti homines, idem à ſe ipſis ante octo menſes actum; cùm ſomniatis, fictitiiſque Terroribus exagitari ſe paterentur. Hinc multi, iidémque viri inſignes, obſequii & legum reverentiâ moniti, Regi in auxilium advolant. Hos inter, major & longè melior pars ſuperioris Conſeſsûs; quadraginta plus minus Proceres; ipſe magni Sigilli Cuſtos, & quàm plurimi inferioris Ordinis Senatores. Horum adventu, propriáque virtute fultus Rex, meliora non deſperat. Multùm verò decrevit Parlamenti exiſtimatio. Hoc in majus efferati, legem promulgant, quâ omnes alliciuntur, ut pecunias, vaſa aurea & argentea ſubminiſtrent. Cautum inſuper publicâ fide, ut creditum æs octonariâ per centum fœnoris ratione reſtituatur. Promittunt nummos ſic collectos *ad*

Rex militem conſcribit.

vindicandam ex Malignantium, Pontificiorúmque manibus Regis Majeſtatem & Perſonam; ad Reformatæ Religionis Parlamentique Privilegiorum defenſionem, deſtinatos. At riſu dignum, quòd ipſo eodem tempore quo Regis perſonæ conſervatores egregio ſe & magnifico mendacio aſſerebant, magnam tritici & vini copiam Regiæ menſæ partem interceperint. Nulla verò ſubſidia, majori animorum contentione conceſſa, quàm quæ *Londinenſes* vicinioréſque *Puritani* ad ſui & concivium perniciem ſubminiſtrârunt. Ditiores aurum, argentum cœlatum cuſúmque, effusè largiuntur. Ipſæ fœminæ inaures & monilia huic *Preſbyterianiſmi vitulo* offerunt. Pauperiores mulierculæ annulos conjugales; Puellæ nondum nuptæ calamiſtra, digitalia, *&c.* ſacro certatim bello devovent, & in ærarium projiciunt. Stimulabat in furias jam properantes Concionatorum veſanus ardor. Hi *ruere Papiſmo Religionem, periclitari tyrannide libertatem, unicum à Parlamento remedium, unicam inde Salutem vociferantur.*

Exercitus à Comitiis, Eſſexio duce, conſcribitur.

His artibus ingentíque ab urbe pecuniâ publicâ fide corraſâ, exercitus, *Eſſexio* duce, conſcribitur. Hujus operâ trucidandi *Malig-*

lignantes (Hoc nomine, qui Regem ſequuti, adornantur) Rex ipſe è pravorum miniſtrorum manibus eripiendus. Quia verò maxima inerat plurimis Regii Nominis reverentia, id imprimis decretum, ut bellum, *in Regem ipſum*, Regis & Parlamenti nomine, gereretur. Hinc brevì orta portentoſa diſtinctio *Regis Perſonæ Regiique Officii*: Affirmatum, *aliud eſſe politicam, aliud privatam Supremi Magiſtratûs* (ut eorum ſtylo loquar) *Capacitatem*: *Regem politicè Comitiis*, Eboraci *verò perſonaliter adeſſe: ſummam Populo primitùs poteſtatem inhærere; Regibus verò delegatione & fiduciariâ commiſſione. Hos ſingulis majores, at univerſis minores; eóque armis, ſi in Religionem vel Libertatem peccarent, revocandos.*

Intellecto Rex tanto apparatu; quódque Claſſem, Munimenta, Armamentaria, Regios Regiorúmque reditus ſui juris feciſſent, Claſſicum etiam cani jubet. *Eſſexium Eſſexiique* partibus adhærentes proſcribit. *Hertfordiæ* Comiti copiarum Præfecturâ inſignito, ut Rebelles aggrediatur, oppugnet, ſubigat, præcipit. Explicito ad *Nottinghamiam* Vexillo Rego, inauſpicato utcumque omine, quippè improviſo tempeſtatis impetu dejecto,

Eſſexium Eſſexiique *partibus adhærentes proſcribit* **Rex.**

jecto, civium fidem & auxilium imploravat, *Hullam* oppidum, Provinciali viciniæ militiâ adjutus, attentaverat. At viribus & congreſſu impar, nè tempus tereret, ab eâ iterum receſſit. Ad majora igitur converſus, bellum ipſemet, nè ab hoſtibus interciperetur, meditari cogitur. Pecunias & arma à Reginâ acceperat. Hæc, tumultuum initio, in *Hollandiam* cum Filia *Auriaco* Principi nupta, ſe recepit. Oppignoravit, ut marito ſubveniret, Gemmas, & Coronæ Cimelia pia Conjux. Laudabile juxtà ac debitum facinus, Proditionis poſteà à Proditorum ſceleratiſſimis poſtulatum. Eodem tempore *Rupertus*, & *Mauritius Palatini* fratres in *Angliam* appulêre, Regi avunculo opem pro viribus laturi. Opem ſanè natalibus dignam, at utcumque infœlicem.

Pacis media tentat, at fruſtra.

Sic non contemnendis Rex copiis cinctus, maluit iterum pacis quàm belli rationes tentare. At interpellato de iis ſæpiùs Parlamento, non auditur. Eminebat in Comitiis impetuoſa hominum turba. Hi virium fiduciâ freti, omne pacis deſiderium exuiſſe videbantur. Inde Regi intenſior belli cura. Collectis igitur in provinciis, quas percurrebat, militibus,

litibus, indies augebatur. Sed cùm in *Walliam* perventum, incolas patheticè compellans, ſibi prorſus devinxit. Hos plerumque, ut & vicinarum regionum populos, poſitis ad *Salopiam* caſtris, numeroſiſſimâ frequentiâ ſic alloquutus.

Meâ non parùm refert, quòd calamitates, quibus circumagor, me ad tam fœlicem Regni & populi mei partem adduxerint. Spero futurum, quòd nec me nec vos hodiernæ Conventionis pœnituerit. Conabôr ſaltem, nè quid indè detrimenti capiatis, veſtræ quippe fidei certior. Exercituum ſtationes haùd uſpiam gratæ. Magìs verò à nobis timetur, cùm me omnia deficiant, perterritis nè laboranti ſuccurrant amicis. Putant ſcilicet me populi mei bonis & indulgentiâ ſuſtentatum iri. At nè quid timeatis: Utinam non majus damnum ab hoſtili exercitu, rerum omnium utcumque affluentiâ laſciviente, quàm à meis patiamini. Vereor tamen nè cuivis belli licentiæ occurrere valeam. Quod potero efficiam. De hoc quod & polliceor certus; neminem meâ causâ, me volente, incommodi quicquam acceptûrum.

Mo-

Monetariam huc adferri officinam jussi. Supellectilem omnem meam cudendam tradam. Si quid terrâ marique habeam, vel vendam, vel oppignorabo; ne vos, quoad liceat, ullatenùs premam. Huc vos accersitos volui, quò ad ea agenda fortiter & strenuè moveamini, quibus Religio, Leges, Libertas, incolumes servantur. Hoc non mea tantùm, sed vestra salus postulat. His omnibus divites, felices, securi vivitis. Vestrâ interest non minus in fulciendo Throno, quàm in hostibus evertendis laborare. Nec patiamini justam adeò causam subsidiorum penuriâ occidere. Quod civium avaritia negat, hostilis furor abripit. Dum pecunias, vasa, supellectilem profundunt, ut Rempublicam diruant; se liberalitati vestræ, se auxiliis vestris Respublica debeat. Credite, si Deus inceptis faverit, acceptorum me beneficiorum nunquam non memorem fore. Verùm utcumque res cadant, honori vobis in posterum & solatio fuerit, quòd Regi & Patriæ nutanti propriis sumptibus & periculis inservieritis.

Oratio omnium plausu & gaudio excepta. Eandem paulò antè Rex ad *Willingtonam* habuerat; in quâ de Religione, de

de civium Immunitatibus, de Parlamenti Privilegiis, miruni in modum proloquutus, jurejurando asseruit, *se, si ea omnia non tueatur, nullum à Deo aut hominibus auxilium expectare.* His auditis, incolæ Principis Majestate & Reverentiâ moti, ad arma certatim convolant; adeò ut modico temporis intervallo formidabilis factus, hostem, quem hucusque vitaverat, sponte provocare ausus sit.

Essexius ovans à Senatoribus extra urbis pomœria stipatus, ad copias, quæ *Antonæ* convenerant, properat. Exercitus è quatuordecim millibus constabat, sui fiduciâ ferox; eóque magis elatus, quòd cum tyronibus plerumque & inermibus res gerenda. Supplicem à Comitiis libellum Regi offerendum acceperat *Essexius*; in quo inter alia postulabatur, *ut Rex suos, utpote Rebelles, desereret, desertósque ab* Essexianis *sineret opprimi.*

Nefarium propositum Rex aspernatus, relictâ *Salopiâ*, castra *Londinum* versus movet. Sex mille Pedites, ter mille Equites, bis mille (*f*) Equo-pedites numerat. Inexpectata Regis profectio Senatui & Urbi terrorem injicit. Hic verebatur nè si *Londinum* Rex acceleraret, Comitia faciliùs opprimerentur: Illa audierat

(*f*) Dragons.

rat à Principe *Ruperto* ſub *Vigorniæ* mœnibus fuſam Parlamentariorum equitum alam, occiſo eorum Tribuno *Sands*. Urbanam itaque militiam vigilias agere hortantur, Caſtra extrui, Suggeſtus pro tormentis erigi, Foſſas excavari. His ſtrenuè plebs adlaborat. Decem *Winſorienſi* arci tuendæ centuriæ mittuntur. Carcer mandantur, quorum vel minima in Regem benevolentiæ ſuſpicio.

Hæc inter *Eſſexius Vigorniam* à Regiis relictam pervenit. Hic, dum Rex præteribat, ſtare, nullúmque exercitu afferre impedimentum, videtur. Prætoriti verò veſtigia premit. Veritus Rex nè hoſtem inter & *Londinum* clauderetur, vertitur in ſubſequentem. Hic primum inter partes certamen. *Keyntonium* inter vicum, & adjacentem collem in agro *Warwicenſi*, prælii locus. Æquo fortitudine & fortunâ pugnatum; utrique victoriæ ſama. Id verò apud omnes certum, victoriam Regi abſolutam ipſámque in incunabilis perituram Rebellionem, niſi dextra Equitum ala hoſtes longiùs quàm par erat inſequuta fuiſſet. Sed aliter Deo viſum, qui *Anglicæ* gentis ſcelera viliori ſanguine expiandi noluit. At de his fuſiùs. Regii alacri &

Prælium Keyntonienſe, Oct. 23, 1642.

in

inſtructo agmine de colle deſcendunt. In valle, hoſtilem exercitum, cujus acies inſtruebatur, in conſpectu habent. Interrogantibus, quid agendum, Rex, *à ſe jamprimum Rebelles turmatim viſos; ſe Deo æqui boníque vindice, bonorúmque votis faventibus, pugnam initurum*, alacriter reſpondit. Dextro cornu *Rupertum* Principem; ſiniſtro *Wilmottum* Equitum Magiſtrum, cui & *Forthæ* Comes additus; mediâ acie *Linzæum* Comitem, Caſtrorum Præfectum præponit. Horum terga ſubſidiariis turmis claudebantur. *Eſſexius*, nocte in *Keyntonio* oppidulo tranſactâ, militem educit. In dextro cornu duæ Equitum legiones, ducibus *Balforio* & *Stapletonio* Equitibus. His *Feildingus* Baro ſubſidio adjungitur. Mediam aciem ipſe *Eſſexius*, pedes primùm, ut ex adverſo *Linzæus*, tenet. Siniſtrum Cornu cum viginti Equitum turmis à *Ramſeyo* regitur. Valli nomen *Equi Ruſi*, ſanguine brevi fundendo magis ominoſo nomine. Inſtructâ *Eſſexius* acie, trinâ majorum tormentorum fulminatione, triniſque Militum vociferationibus, Regem vel ſalutat, vel provocat. Reſpondetur à Regiis gemino tonitru. Tormenta utrinque campeſtria

ſtria hinc inde, aut parvo, aut nullo detrimento exonerantur. *Rupertus* tanto impetu in *Ramſeyum* procurrit, ut eum non loco tantùm, ſed & campo magnâ clade pellat. Pedites huic alæ proximi arma projiciunt, Equitum fugâ & *Forteſcui* Equitis, cum turmâ cui præerat, defectione terrentur. Hic tandem obſequii memor ad Regem fugerat. At inſequentibus longiùs victoribus, ſubſidiariæ turmæ, duce *Carnarvoniæ* Comite, eodem impetu vectæ, nimio vincendi deſiderio, victoriam amiſerunt. Si enim denudatum jam latus aggreſſæ, maximum proculdubiò hoſtibus detrimentum. *Eſſexius* verò occaſioni non defuit. Quippe qui miſſo, cum *Feildingi* ſubſidiaria legione, aliiſque, *Hurræo* Tribuno, Regios, equitum ſuorum alâ deſtitutos, non mediocriter laceſſebat. Non eadem in altero Cornu fortuna. *Balforius Wilmotum* pellit. Nudatis in ſiniſtro latere Equitatûs fugâ Regiis, ruptíſque duabus Peditum cohortibus, viam ad Vexillum Regium aperit. Ibi *Linzæus*, qui pedes haſtâ armatus pugnaverat, ſummi imperatoris, ut & gregarii militis officio præſtito, vulneribus acceptis occidit; capto, cùm in Patris auxilium rueret, filio

natu

natu majore. Occiſo *Varneyo* Equite, Signifero, Regium Vexillum capitur. Properantibus verò auxiliariis, repulſo hoſte Vexillum vindicatur. Equeſtris honor in ipſo Prælii loco, Vexillíque cuſtodia *Joanni Smithæo* datur, tam egregii facinoris præmium.

Inclinato die, à pugnâ, velut mutuo conſenſu, diſceſſum. Libentiùs à Rebellibus; quippe defeſſis, & nitrati Pulveris penuriâ laborantibus. Nec moleſtè à Regiis, vix dùm redeunte ab impedimentorum *Keyntoniæ* direptionibus dextrâ ſuorum alâ. Aliàs de Rebellibus hâc vice actum. Jámque ſtabant collectis, inſtructíſque, ut ſub initio pugnæ, hinc inde copiis. *Eſſexius*, *Hambdenii* Legionis acceſſu, & paulò pòſt *Hollifii* Peditum legione, ut & *Willoughbei* Baronis Equitum turmis auctus, numeris valebat. At nec eum latebat *Ruperti* Principis Equitatum integrum & validum eſſe. Ab ulteriore igitur certamine ceſſatum. Ingruente nocte, Rex collem iterùm aſcendit, ubi ignibus per caſtra collucentibus, in ſuo curru cum Filio Principe decennali puero (quem nec tormentorum fulminationes, nec armorum ſtrepitus, nec varia mortuorum morientiúmque

túmque genera ullatenus terrebant) ſpe & gloriâ *Britanniæ*, pernoctavit.

Craſtina die Rex miſſo verſùs *Ayno* vicum Peditatu, ipſemet cum Equitatu ſequitur. Prius tamen hoſtibus aliquandiu acie inſtructâ minatur. *Eſſexius* campum tenuit; nec trium licèt Legionum acceſſione auctus, pugnam auſus eſt iterare. Ad *Abonis* ripas octo inde milliaria ſe recipit, quo Regi liber tranſitus. Cæſos utrinque ad quinque millia fama erat. At ruſticorum calculo, à quibus ſepulta occiſorum cadavera, mille tantùm occubuiſſe fertur. Nullus è Regiis inſignior, præter *Linzæum* Comitem, *Aubignæum* Regulum, & *Varneium* Equitem. E Rebellibus *Eſſexius* Tribunus vir fortis, *Ramſeyus* Tribunus, & St. *Joneſius* Baro occiderunt. Sic ereptis hinc inde tormentis, Signíſque haud inæquali numero, decretis utrinque ſupplicationibus, ſibi pars utraque Victoriam vindicavit. *Eſſexiani* campum & mortuorum corpora ſibi relicta jactitabant. Regii à ſe id actum aſſerunt, quod decreverant; viam, ſcilicet, *Londinum* ducentem liberam facere. Addunt non auſos hoſtes, novis licèt

licèt viribus auctos, Regis profectionem novo prælio impedire.

At quâ fide bellum à perduellibus geſtum, ex literis inter impedimenta iri pugnâ captis liquet intelligi. Harum author *Blakius* quidam, à quo certiores facti, quid à Regiis actum decretúmve. Imprimis, quâ Exercitûs parte Rex pugnaturus. Unde inſignem adeò ſcopum certiori diligentiâ & glandium furore peterent. At detectus neſariæ proditionis reus, ſuſpendio pœnas ſolvit.

De *Cromwello* equeſtri turmæ in *Eſſexii* legione præpoſito affirmatur, quòd à pugna abſtinuerit. Viderat à turri quam conſcenderat, perſpicilii ope, ſuorum fugam; quâ territus, per funem campanilem præ feſtinatione delapſus, præcipiti cum ſuis receſſu, ſibi conſuluit. Nec id de homine reticuerim, qui ſequenti bello famoſiſſimus: mutatâ fortaſsis, uſu & ambitione, animi juxtà ac corporis Temperie.

Profectus Rex, receptis in viâ arce & oppido *Banburienſi*, præſidium duarum Peditum cohortium & unius Equitum turmæ, datâ fide, accepit. Idem & *Broughtonii* fatum. Inde plurimis *Rex, receptâ Banburienſi arce,*

signis ovans *Oxoniam* ingreditur. Nec diutiùs ibi moratum. *Rupertus* Princeps rapido Equitum agmine, excussis circumjacentibus oppidis, ipsius *Londini* aditus, & viciniam excursionibus fatigat. Pergit cum reliquo exercitu Rex. Perruptis *Brentfordiæ* obicibus oppidum capitur, oppressis duabus hostium fortissimis legionibus; raptis undecim signis; tredecim tormentis majoribus, in proximum flumen, nè impedimento forent, projectis. Cæsi mersíque plurimi. Quingenti libertate donati, exactâ priùs fide & sacramento, se nunquam arma in Regem sumpturos. Ordines verò tantam vix jacturam passi, *Stephano Mareschallo* Presbyteriano Mystæ, in mandatis dant, ut eos à Sacramenti Religione absolvat. Quod auctoritate plusquam sacerdotali effectum.

Brentfordiam *expugnat.*

Rex interim per *Kingstonii* pontem, ab *Essexianis* perperam desertum, *Oxoniam* victoriâ lætus redit. Quippe globulorum inopiâ laborabat; timebátque nè à Parlamentariis ubique confluentibus circumveniretur. Oppidum *Redingam* in transitu præsidio firmat. *Oxoniámque* urbem, ob *Londini* viciniam, bello aptissi-

Oxoniam *redit.*

tiſſimam, & Aulæ ſedem, utpote in meditullio Regni ſitam, vallo, foſsâ, propugnaculis muniri curat. At *Londinenſes* de Regis adventu ſolliciti, *Eſſexium* revocant. Quinque aureorum millia ob rem *Keyntoniæ* fortiter geſtam acceperat. Hujus copiis urbanæ ſe legiones adjungunt, at ſeriùs; Rex enim *Oxoniam* jam reverſus erat. Re itaque infectâ, poſt inanem ad *Turnami* planitiem virium oſtentationem, ubi *Northumbriæ* & *Hollandiæ* Comites, cæteríque Partium Proceres in armis conſpecti; redit ad ſua negotia civis. Vacuos legionum ordines novo delectu implet *Eſſexius*.

Aliis etiam in Provinciis non minùs acriter certatum. Imò totum ferè Regnum, nobiliores præſertim Familiæ, partium ſtudiis abripiuntur. Multos pellexit Rebellio; multos obſequium tenuit. Bello jam indicto, loca unuſquiſque occupat, quæ vel bello magis idonea, vel gravioris momenti videntur. At diſſentientium prælia, pugnæ, velitationes, obſidia, expugnationes, & id belli genus facta, etiamſi nullos triumphos promerita, utpote quæ non in hoſtem, ſed in Civem geſta; præſtantiorem tamen,

quàm adhuc extat, rerum narrationem merentur. Fuere plerumque virtute ſtupenda, ductu inclyta, tantóque magis crudelia, quanto partes cauſæ quam ſuſtinebant, æquitate ad ſtuporem incitabantur. Id egregio cuidam Hiſtorico relinquam; cùm nec animus mihi, nec vires integrum bellum deſcribere: Præcipua tamen, quæ ad rei ſummam faciunt, & quorum pars quædam fui, nequaquam omiſſurus ſum.

Dum exercitus hinc indè in Hybernis erant, non ab armis ideò ceſſatum. Equeſtria prælia, excurſiones, ſtationum irruptiones, & alia belli experimenta exercentur, variante ſucceſſu. At nulla unquam victoria Regi abſque dolore obtigit; quippe in ſubjectos parta. Hinc quoties illi proſpera, toties de pace cogitationes, & ad Rebelles de eâ literæ & nuntii. Principis pietatem rident *Puritani*; *Scotorúm*que ope, quos in auxilium vocaverant, nixi, totis viribus in contrarium ruunt. Nè tamen pacem prorſùs viderentur odiſſe novem, decim pacis propoſita, bello quovis aſperiora, ad Regem *Eboracum* miſerant. Id præcipuè efflagitabant, *Nullum ad ſacrum Regis concilium, Judicis dignitatem, ſummúm-*

Pacis propoſita ad Regem Eboracum *miſerat Parlamentum.*

que

que aliquod Regni munus promovendum; niſi priùs Parlamenti ſuffragiis electum: Nullum ſeu militiæ, ſeu munimentis terrâ marîque, præficiendum, qui non eorum arbitrio ſubjiciatur: Nullos inpoſteram Proceres, ſuffragium in Comitiis laturos, abſque Ordinum conſenſu. Urgebant Regem, *ut qui partes ejus amplexi Parlamenti arbitrio permitterentur: Copias omnes dimitteret: Nec prolem Regiam connubioſi neret jungi niſi habito priùs eorum conſenſu.*

Hiſce Servitutis potiùs quàm Pacis propoſitis reſponſum Rex *Marchioni Hertfordienſi & Southamptoniæ Comiti,* Magnis viris, ferendum dedit. Iis injunctum, ut in ſuperiori Procerum Conſeſſu rem exponerent. At nè quidem intromiſſi Legati, re infectâ redière. Obtulêre ſe ad lites componendas *Galli & Batavi*; quàm ſincerè neſcio! quibus ab Ordinibus acritèr reſponſum, præſertim Gallis, *inauditum videri, vixque etiam ferendum; quòd alienis ſe rebus immiſcerent.* Soli arrident Scoti, quippe *in malo fratres*; quos ut perduelles Rex rejecerat. Miſerant equidem antehac, cùm Rex, poſt prælium *Keyntonienſe*, victricem exercitum *Londinum* versùs duceret, de rerum

ſucceſſu anxii Ordines, duos è ſuperiori, tres ex inferiori Senatu viros; ut feſtinantem pacis pollicitationibus retardarent. Amotis verò timoribus, videbantur poſt Regis receſſum, ab omni pacis methodo abſtinere. Cæterùm modeſtiorum quorumdam monitione, duodecim alios *Oxoniam* delegant, Propoſitis dicam, an Poſtulatis, armatos? Horum ſumma: *ut Rex exercitus dimitteret: aboleret Epiſcopos: ad Parlamentum rediret: armorum arbitrium cederet, &c.* Rex verò *ſuos ſibi reddi Reditus, Armamentaria, Urbes, Naves, Munimenta* poſtulat. *Abrogari omnia* requirit, *quæ contra leges acta.* Nec alius colloquii fructus, præterquam quòd Legati, quibus in mandatis erat, ut cum Rege ſolo negotium agitarent; Principis ſagacitatem, accuratam rerum intelligentiam, ſtrenuam ratiocinandi facultatem mirarentur. Adverſariorum objecta & pervicacitatem, ingenio & patientiâ haud imitabili ſuperabat; in hoc tantùm infœlix, quòd plus aliorum placitis, quàm propriæ menti crederet.

At cujus erga pacem animi fuerint Comitia, juramento ſeu fœdere, paulò pòſt ab iis inito, omnibúſque exhibito in-

innoteſcet. Hoc *arma ſe nunquam depoſituros affirmant, quamdiu Rex exercitum habuerit*, in quo *Papiſtæ*, (infame Regiis nomen copiis, ab ipſis inditum) *& alii legibus obnoxii tanquàm in aſylo delitescerent.* Imò eò uſque audaciæ perventum, ut *nationalem ſynodum* ſuâ convenirent auctoritate, ſuiſque decretis; quâ, rejectâ veteri Conciliorum formâ, facultas *Presbyterianis Fanaticiſque Clero-Laicis* datur; *ut Religionem, verúmque Eccleſiæ regimen ſtabiliant.* Horreant Poſteri, cùm Religionis nomine non Sacra tantùm, ſed & Civilia miſceri & conturbari audierint. Magnum ſibi Sigillum, loco ejus quod penes Regem aſſervabatur, fingunt; eóque publicè utuntur. Pacifici homines Pacem precantur, Læſæque Majeſtati ſacra faciunt; dum novis ſceleribus bellum inevitabile ſimul & irreparabile conciliant. Inſolens proditoriúmque facinus pars illa Parlamenti, quæ Regem *Oxoniam* ſequuta, ferre non potuit. Aſſeſſores *Weſtmonaſterienſes*, (hoc enim Rebelli Parlamento nomen) læſæ Majeſtatis reos pronunciat.

Comitis Neocastrensis *res gestæ.*

Hæc dum fiunt, *Novi-Castri Comes* octo millia militum proprio ferè sumptu in septentrionalibus provinciis conscribit; cui & superato *Tees* fluvio *Cumbriæ Comes* adjungitur. E contrà *Fairfaxii*, Pater & Filius, pro Parlamento operam omnem impendunt. Hinc acris ad *Calatum* pugna, in quâ Rebelles victi oppidum deserunt: Hanc subsequuta *Bradfordiæ* expugnatio. Novo posteà delectu aucti *Fairfaxii*, *Leeds* oppidum quod anteà amiserant, primo impetu capiunt. Ab aliis, *Cholmleyo* scilicet, & *Boyintonio* Equitibus sexcenti Regii ad *Gysburgam* funduntur. Ipse *Slyngbeyus* Tribunus captus. *Wakefieldia* etiam à Juniore *Fairfaxio* devicta. At hæc exigui momenti. Crescit verò indies adcurrentium accessione *Novicastrensis Comes*. Arma, tormenta, militariúmque instrumentorum genus omne, *Goringius* illi & *Kingius*, viri bello clari, ex *Hollandiâ* afferunt. Profligatis ubique & in munimenta pulsis Parlamentariis, omnes Septentrionis Provincias sui juris facit. Territi *Westmonasterienses* Ordines orientalibus Provinciis, *Eboracensi* proximis, scribunt, ut *se in sui defensionem jungere quamprimùm velint*. Has, si semel

mel ingreſſus Comes, ſuæ non tantùm ditioni addidiſſet; ſed interceptis, quæ indefinenter exindè miniſtrabantur, ſubſidiis, hoſtem incruento bello deviciſſet. At infœliciter *Hullam*, maritimam urbem arte & naturâ munitam, obſidet. Ibi & Victoriæ & Fortunæ meta.

Ineunte vere, ex *Hollandiâ Burlingtoniam* Regina appellit, magno rerum bellicarum apparatu. Quoſdam etiam veteranos duces adduxerat. Hìc non minùs terræ, quàm maris anteà pericula experitur. Hoſtilis navis ibidem appulſa tanto tormentorum furore intonat, ut ſereniſſima Princeps hoſpitium relinquere, & ſub aggeribus delitescere coacta fuerit. Splendidiùs verò à *Neocaſtrenſi* Comite & pro dignitate excepta, *Eboracum* ipſa omni pompâ major intrat. Huc *Montiſroſanus* Comes, (t) Montrois. juventute & nobilitate inſignis, venit. Hunc comitabantur *Ogelbeyus* Regulus, & viginti ſupra centum Equites. Reginam de fœderatorum in *Scotiâ* apparatibus certiorem facit; eóſque brevi *Angliam* ingenti exercitu invaſuros. Eodem tempore *Hamiltonius* & ipſe Reginam ſalutaturus ad Aulam properat.

Regina Burlingtoniam *appellit.*

Notis

Notis artibus à *Montisrosano* prolata refellit; orátque nè Regia Majestas juveni & vano fidem adhiberet. Huic nimiùm Princeps, ut infrà videbitur, credidit. *Hugo Cholmleyus* Eques, *Scarboroviæ* Præfectus, cum trecentis militibus ad Regias partes accessit Idem *Hothamii* Pater & Filius aggressi. Sed à suis intercepti, infœliciter experti sunt, *adeò periculosam Rebellionem, ut etiam ad obsequium redeuntes interficiat.*

Marchio Hertfordiæ occidentalibus provinciis præpositus.

Marchio *Hertfordienſis* occidentalibus Provinciis Præpositus multa, *Pawleto*, *Hoptonio*, *Stowelio*, *Greenvilio*, *Slaneyo*, magnis viris adjutus, præclarè gessit. *Chydleyus* Eques & *Stanfordiæ* Comes, rem Parlamenti strenuè promovent. Hos *Rodolphus Hoptonius*, non sine honoris præfatione nominandus, variis præliis fatigat. *Chydleyum Launcestoniæ* fugat, ad *Chaffordiam* superat. Justo deindè prælio illum & *Stanfordiæ* Comitem ad *Strattonem* vincit, cæsis hostium quamplurimis, captis mille & septingentis, præter tredecim ænea tormenta, septuaginta nitrati pulveris dolia, *&c.* Hâc victoriâ vicinæ ad Regis obsequium Provinciæ reducuntur. Ipse *Hoptonius* Baronis *Strattonenſis* titulo, ob

Hoptonius *Rebelles variis præliis fatigat fugátque.*

ob rem fortitèr geſtam, inſignitus. Fugati duces (*t*) *Exoniæ* obſidione clauduntur; (*u*) Excetcr. *Mauritió* que Palatino civitas dedita. Indè *Hoptonius* Comitatum *Sommerſetenſem* ingreſſus, *Willielmum Wallerum* Equitem, primarium hoſtium Ductorem magnæ famæ hominem, apud *Landsdowniam* imminentem *Bathoniæ* urbi planitiem, obvium habuit. Concurritur, pugnatúrque in multam noctem, æquâ partium Virtute & Contentione. Vicit tamen Regiorum conſtantia. Hoſtes utcumque numeris ſuperiores, accenſis in campo ſulphuratis funiculis, in vicinam ſe urbem recipiunt. Certaminis locus Regiis relictus, ſicut & nonnullorum minorum ducum deſiderium. Nullus verò æquè lachrymas obtinuit, ac *Bevilius Greenvilius*, qui iteratos hoſtium inſultus, immobili haſtatorum agmine, dum fuit, ſuſtinuerat. Parlamentariorum tùm Ductorum tùm militum clades longè major. Abundè tamen compenſata *Greenvilii* morte, & nitrati Pulveris jacturâ; qui an caſu an à captivis accenſus, ipſum *Hoptonium* flammis ambuſtum, tantùm non obruit. Hinc recedere coactus, ſe ipſum & copias in oppido *Deviſes* occludit.

Prælium Landsdownenſe Jul. 5. 1643.

Wallerus,

Wallerus Hoptonum *intra* Deviſes *occludit.*

Wallerus, occaſioni invigilans, Regios inſequitur. Elapſo è manibus Equitatu; Peditatui inſtat & coronâ cingit, certâ victoriæ expectatione. At Rex ſuorum periculo admonitus, *Wilmottum* Equitum Magiſtrum, *Mauritium* Principem, *Arvoniæ* Comitem, *Byronium* Regulum, validámque Equitum manum in auxilium mittit. Mille & quingenti paulò minus erant. Oppido propior *Wilmottus* aciem inſtruit, unicâ ſtantem lineâ. Equites circiter centum præmiſerat, à quibus par ex hoſtibus numerus ad ſuum uſque exercitum pulſus. Vallis copias dividebat, quam Regii, contrariis utcumque tormentis laceſſiti, imperterriti

Prælium ad Deviſes Jul. 13. 1643.

tranſeunt. Hoſtium ordines, quibus præ inſitâ loci opportunitate pugnam expectare, quàm inferre ſatiùs viſum, uno impetu turbantur, fugantúrque. Nec plura quàm duo Campeſtria tormenta; quæ non in hoſtes librata, ſed ab edito monte ſemel tantùm exonerata, adventantium auxiliariorum ſignum obſeſſis dabant. Peditatus hoſtilis in ipſâ equitum fugâ immotus, abrumpi ſe non ſuſtinuit: Donec viſo *Hoptoniorum*, qui inſidias veriti lentè feſtinabant, adventu, projectis armis quiſque, ut potuit,

tuit, propriæ ſaluti conſulebat. Capti cæſique ferè omnes. Quatuor ænea tormenta, magna bellici apparatûs & rei cibariæ copia, viginti & octo ſigna pedeſtria, novem equeſtria vexilla, victoriæ præmium. Nullum verò Regiis damnum. Aliquot tantùm honorarii juvenes, triginta plus minus, inter quos Auctor ipſe, gravi in dextrâ & capite vulnere accepto, fugientibus immixti intercipiuntur; qui paulò poſt, captâ à Rege *Briſtoliâ*, libertatem adepti ſunt.

Amiſſo exercitu, *Wallerus* cum *Hazelriggo Briſtoliam* fugit: quâ etiam imminente hoſte relictâ, *Londinum* properat. Urbem interim magnitudine & incolarum frequentiâ celebrem, victrices copiæ obſident. At dum timebant nè diutiùs obſidio protraheretur; Civitas, vix defenſa à *Nathaniele Fienneſio* Tribuno, deditur. Nec aliam ob cauſam à partium primariis Ignaviæ & Puſillanimitatis reus non immeritò audit. Hic anteà in miſeros fortis, *Robertum Teamans* & *Georgium Bouchier*, primæ notæ & fidei cives, ſpretis Regis & Regii Præfecti Comitis *Forthæ* juſſis, monitis, minis, conſpirationis de tradendâ *Ruperto* Principi

Briſtolia *ſe dedit*, Jul. 26.

Principi urbe poſtulatos, ſuſpendio crudeliter enecaverat.

Eodem tempore altera ejuſdem generis conjuratio *Londini* detecta. *Edvardus Wallerus* Senatorii Ordinis vir, ingenuâ facti confeſſione, cui miram decem millium librarum ſterlingarum ſolutio eloquentiam addidit, vitæ conſuluit. *Tomkinſius* verò & *Chalonerus* meliori, ob inſignem erga Regem fidem, fato digni, præ ſuis foribus crucibus affiguntur.

Nec minoribus aliis in locis pugnatum viribus, victore plerumque Rege. Emerat at cariùs victoriam à *Brereton* & *Gellio* Equitibus in planitie *Hoptoniana* partam, illuſtris *Antonæ* Comes, vitæ nimirum diſpendio. Cæterùm tormenta, aliáque Inſtrumenta bellica, victoribus ceſsêre. Indè *Rupertus* Princeps, *Northamptonianis* copiis auctus, *Lichfieldiam* capit. Hîc *Brookius* Baro *Novantium* haud ſecundus paulò antè interfectus; expugnatâ tamen prius *Birminghamiâ* ſeditioſorum receptaculo. Nec multò pòſt *Redingam Eſſexius* obſidet, ſuperátque; repulſis ad pontem *Cauſum* Regiis, ſaucióque *Aſtonio* oppidi Præfecto. Terruit *Oxonienſes* oppidi deditio.

Pugnatur ad planitiem Hoptonianam.

Eſſexius Redingam *capit.* Apr. 26. 1643.

Nec

Nec defuêre, qui *Eſſexium* criminarentur, quòd copias jam victrices *Oxoniam* versùs, nec viribus nec fiduciâ fortem, non moviſſet. Id verò ab aliis excuſatum; quòd in animum induxiſſet bello finem, non tàm Marte quàm pace imponendum. Eadem *Tautoniæ* & *Pontaquini* à Rebellibus occupati fortuna. *Rupertus* verò Parlamenti Equitatum in campo, vulgò *Chalgrave*, magnâ clade afficit. Capti cæſique inſignes viri. Hos inter *Hambdenus*, unus ex quinque ſeditioſis Senatoribus, quos à Parlamento ſibi Rex tradi poſtulârat, in ipſo agro in quo arma primùm contra Regem induerat, miſerum in modum occidit.

Regina, conſcriptis in agro *Eboracenſi* & circumcircà copiis, in Regis occurſum properat; quem ad collem propè *Keynſoniam*, ubi pridem tàm acritèr pugnatum, obvium habuit. Adduxerat ſecum quatuor mille milites, ſex tormenta bellica, mortaria duo. Relictâ prius, ad *Lincolniæ* & *Nottingamiæ* defenſionem, Equitum Peditúmque manu, duce *Carolo Cavendiſh* Equite. Gratulantur ambo diuturnæ finem ab-

Abſentiæ impoſitum; junctíſque viribus ovantes *Oxoniam* contendunt.

Profligato ad *Devizes* Parlamenti exercitu, captâque *Briſtoliâ*; Rex agros, oppida, rura, ubique victor tenebat. Acceperat à *Novicaſtri Comite* ſubactam ſeptentrionalem Regni partem, occluſis in *Hullâ Fairfaxiis*, Patre & Filio. Jámque malorum ſcelerúmque noſtrorum finem ſibi omnes pollicebantur. At aliter Deo placitum. Senſerat Rex *Londinum* belli Caput utroque exercitu obſidendum. Sic cùm ſuarum tùm *Neocaſtrenſis* copiarum ope, conſociatas Provincias debellari poſſe; frænúmque imperioſæ civitati vix excutiendum imponi. Id verò nullo aut minimo labore actum iri; cùm & Ordines animos apertè deſponderent; confectúmque morbis, ſeditionibus, aëríſque intemperie exercitum *Eſſexius* in hybernis contineret. At nec ſatis ſibi, nimiúmque aliis credidit infœlix Princeps. Senatûs bellici opinionibus, ſuorúmque perfidiâ deceptus, qui *Gloceſtriam* monſtrabant, omiſſo rerum capite, irrevocabile tempus miſerè terebat. Nec minùs infœlicitèr *Hullam Neocaſtrenſis* obſidet. Inſperatâ opportunitate erecti Ordines vacuas

vacuas legiones novo delectu festinantiùs complent; allectíſque in ſubſidium urbanis copiis, *Gloverniæ* ſuccurrunt. Hinc nova rerum facies: At hæc ordine.

Eſſexius exercitum in planitie *Hunſloenſi*, aſtantibus utriuſque domûs Ordinibus, luſtrat. Nec decem millia ſuperabat, Regiis copiis, & expeditioni longè impar. Auctus verò *Londinenſibus* auxiliariis, in obſeſſorum opem ruit. *Gloceſtria* ad *Sabrinæ* ripas poſita, fluvio & munimentis defendebatur. *Maſſeyus*, vir ſtrenuus, urbi præerat. Præſidium duabus Peditum Legionibus, totidémque Equitum Turmis, conſtabat. Hic utcumque acritèr impetitus, fortitèr obſiſtit; aggreſſionibus eruptiones, & cuniculis tranſverſos meatus opponens. Cæterùm nec obſidentibus aggrediendi, nec obſeſſis defendendi recta methodus; non adulto adhuc Marte. At potior propugnatio; quippe in auxiliariorum adventum procraſtinata. Perſpecto adverſariorum conſilio, *Rupertum* Rex mittit omni Equitatu ſtipatum, qui adventantem hoſtem retardaret. Id continuis excurſionibus velitationibúſque, præſertim ad *Stowam* factum. Gloceſtriæ obſidio

colli Princeps imminens, porrecto in longam aciem milite, maximarum ſpeciem copiarum oſtentabat. Hoſtis verò collis declivitatem inſtructiſſimo exercitu ſuperat. *Baylæus* urbanas Cohortes in ſiniſtro cornu, dextrorſum *Harvæus* unam Equitum, duas Peditum legiones ducit. Hunc longiùs progreſſum occludere molitur Princeps, miſſis Equitum turmis. Tempeſtivè verò Principi eripitur, properantibus in auxilium tribus Equitum legionibus. Inde poſt leves aliquot velitationes, ad ſuos Regii incolumes redeunt. Abeuntes, quippe Equites omnes, inſequuntur *Eſſexiani*. Rex paci invigilans, propoſita *Eſſexio* mittit, à quo audacter reſponſum, *ſe nulla de pace ineunda*, ſed *ut Glovernia ſubveniret, mandata accepiſſe*. Adventante hoſte obſidio ſolvitur. *Sabrinam* amnem copiæ trajiciunt. *Eſſexio* interim liber ad urbem aditus, quam Liberatoris titulo triumphans ingreditur. Atque jam iterùm elabitur occaſio. Totum enim exercitum hoſti Rex ſi oppoſuerit, urbs victoriæ, vel impediti auxilii, præmium fuiſſet. Liberatâ civitate, de ſervando exercitu cogitat *Eſſexius*; *Londinenſibus* præſertim magno co-

Solvitur.

copiarum robore. His Annonâ laborantibus, tempeſtivâ *Corinii* interceptione ſubventum. Redeuntibus Regii occurrunt, ac prope *Auburniam* aggrediuntur. Hìc Equitatus omnis, *Ruperto* duce, poſtremam hoſtium aciem bino impetu adortus fatigat, propulſátque, nullo Regiorum damno; ſi unum Marchionem de *Vieuville Gallum* exceperis, qui fortitèr occubuit. Nox pugnam diremit: Interfecti captíque Parlamentariorum plurimi.

Craſtino die *Eſſexiani* Regios, quorum dextram amnis tuebatur, *Neoburiæ* in conſpectu habuêre. Collem occupârant centum ab oppido paſſibus, quo hoſti tranſeundum; tormentíſque muniverant. *Eſſexius*, cui nullus recedendi tunc locus, ſuam ipſe legionem duáſque cohortes in Regios ducit; à quibus fortitèr exceptus. *Stapletonius*, adjunctâ ſuis prætorianâ *Eſſexii* turmâ, *Arvoniæ* Comitem aggreſſus, repellitur. Comes verò recedentem longiùs inſequutus, ab hoſtili Peditatu, dum ſuos incitabat, interficitur; vir non minus fortitudine, & erga Regem fide, quam natalium ſplendore inſignis. *Rupertus* dextram *Eſſexianorum* alam iterum con-

Prælium Neoburienſe, Sept. 20. 1643.

globatam animoſiſſimè impetit; compellítque ad ipſum, quam ingreſſi erant, viæ introitum. Hinc verò à Peditatu glandium imbre ſalutatus, multis hinc inde occiſis, feſtinantèr recedit. Dextrum Regiorum agmen hoſtiúmque ſiniſtrum ſepibus impedita, vix quicquam memoriæ dignum præſtitêre. A Pedite verò ſtrenuè utrinque certatum. Regiis *Ruthenus Brenfordiæ Comes*, *Parlamentariis Skipponus* præerat; ambo fortes, artíſque Militaris adeò periti, ut neuter in alterum obtinere quicquam potuerit. Inclinatus jam veſper, cruentam contentionem diremit. Regii inſtructo exercitu campum tenuêre, prælium craſtinò repetituri. Nec ante proximum diem Parlamentarii recedunt. Hos inſequutus *Vrræus* Tribunus, poſtremum agmen à *Stapletonio* ductum fugat; & in eorum Pedites compellit non parvâ clade. Cecidêre è Regiis *Arvoniæ* & *Sunderlandiæ* Comites, *Falclandius* Vice-comes Regi à ſecretis, *Morganus* Equitum Tribunus, aliíque inſignes viri: E Rebellibus multi, nec magni nominis, utpote Plebeii plerúmque, at fortes. Atque hunc finem habuit *Gloceſtriæ* expeditio *Eſſexiani* magnam ſibi famam promeriti

riti, niſi in Regem & Leges pugnatum. Nec minus Regiorum decus, ſed majori laude dignum, quippe quibus melior Cauſa.

Elati ſucceſſu Ordines *Weſtmonaſterienſes*, impensè jactant. Res tamen ſuas ritè perſpectas, in ambiguo eſſe arbitrantur. Propriis itáque haud nixi viribus, *Presbyteriales Scotos* ſolenni Legatione in partes vocant. Quo verò prorſùs captarentur, quippe nec vulgari ſtipendio obligandi, (x) *Solemne Fœdus* ab ipſis Scotis excogitatum ineunt. Immani portentoſóque illo Fœdere, divinis humaníſque legibus adverſo, fundamentales Regni Leges, Liturgiam, Epiſcopatum evertunt; Scoticúmque Eccleſiæ regimen rebellione, perfidiâ, & tumultu ſuperſtructum, in ejus locum ſurrogant.

(x) The Covenant.

Rebelles Scotos in auxilium vocant.

Porrò *Laudus Archiepiſcopus* fœdâ carceris illuvie hucúſque clauſus, jam, ut *Straffordius* olim, ſceleratorum feritati immolandus; ſacríque Eccleſiæ reditus, inter Sacrilegam fœderatorum turbam, iniquitatis merces, dividendi. At de his poſteà. Licuit tamen optimo Principi meliora à *Scotis*, non tantùm ſibi ſubditis, ſed & popularibus, expectare. Illos, dum in

Scotiâ tot beneficiis cumulaverat, ut publico promulgari Decreto curaverint, quòd *ſi quis è Scotica gente, ſolus, vel aliorum conſilio, militem quovis obtentu, abſq; ipſo Regis mandato, conſcriberet, vel bellum meditaretur*; deteſtabilis & damnandæ *proditionis reus haberetur*. Imò ultrà jurejurando affirmaverant, *ſe unà omnes, ſi Rex aliquando periclitaretur, Majeſtatis Regiæ cauſam & honorem, extremo, ut par erat, diſcrimine defenſuros*.

Eorum perfidia. Rex *Edimburgi Hamiltonium* ad Ducis honorem, & *Leſleyum* ad Comitis titulum evexerat. Hic immeriti magnitudine beneficii, ac ſi in Ecſtaſin raptus, ſanctè affirmabat, (vah quàm falſo!) ſe arma nunquam in Regem geſturum. De altero fertur, quòd arcana Regis conſilia hoſtibus prodiderit, ſecretiores verò eorum machinationes perfidè occultaverit. Nec notatu indignum reor quòd cùm increbuiſſet conſpirationis rumor in *Hamiltonium* & *Argathelium* Marchiones, miſſis, ut ferebatur, à *Crawfordiæ* Comite, aliiſque percuſſoribus; res adeò invaluit, ut Rex ipſe, tanquam criminis conſcius, non obſcurè indigitaretur. Hoc indignè tulit Principum integerrimus. At cùm *Hamiltonium* ad

Ducis

Ducis gradum promoviſſet; & juxta antiquum morem Diploma ipſi tradidiſſet; ſubjunxit Rex, *ſe immeritò in ſuſpicionem ſceleris venire; cùm non potuerit ipſe* Hamiltonius *non meminiſſe, quòd cùm ab adverſariis proditionis palàm accuſaretur, facultatem tamen habuit in ipſo Regis cubiculo pernoctandi.*

Recrudeſcente in *Angliâ* bello, Rex ſcriptis ad *Scotos* literis, eos de rerum ibidem ſtatu certos facit. Ab iis reſponſum, *ſe officio & fidei promiſſæ nuſquam defuturos.* Quid verò Scotica tunc fides poſſit, eventus docuit. Comitia enim fœderatos promiſſis pertentant, lenociniiſque adeò ſibi devinciunt; ut polliceri non dubitarent, *ſe nihil in Parlamentum, vel Regis ipſius gratiâ acturos.* Imo famæ, ſacramentorum, & obſequii immemores, *Angliam* cum ingenti exercitu ingrediuntur. Hinc fatalis hæc Regiis rebus mutatio; quâ Rex vitam, ipſi verò libertatem amiſerunt: Parlamentariis in eorum perniciem ruentibus, quos in auxilium vocaverant.

Occupaverant jamdudum Parlamentarii Regias arces, munimenta, præfecturas, reditus, æraria, quin & Coronæ

insignia abripuerant. Instar omnium impium *fœdus* adeò urgent, ut in legem itum, eorum bona in publicum addicenda, qui *Religioso fœderi* adversarentur. Adeò verum est, Religionem semper in Proscænio! Inter alia Pseudo-reformationis præclara gesta, † Statuæ sive Cruces materiâ & opere insignes, quæ in majori urbis plateâ multis sæculis steterant, diruuntur. Superstitiosum, profanum, Papisticum olim metallum, nunc sanctum & beatum; quippe Rebellium usui inserviens. In ipsa templa, & quidquid in iis vel vetustate venerandum, vel arte æstimandum, sæviunt. Sacræ ædes in stabula vertuntur; & Domus Dei in latronum & sacrilegæ impuritatis latibula. Nec abs re fuerit ludicrum, satiùs dixerim, impudentis audaciæ facinus, enarrare. Ordines *Henricum Martinum*, perfrictæ frontis hominem, à quo prius impunè garritum, *Regni columen & decus à* Stuartorum *familia non pendere*, jubent Regalia, Sceptrum scilicet, Coronam, & alia coram inspicere. Ille abruptâ, in quâ servabantur, cistâ, Coronam, Ensem, Sceptrum, & Sacras, quibus Reges nostri inaugurantur, *Edwardi Confessoris* vestes aufert. Al-

† Cheapside, Charing Cross.

Perduellium sacrilegia.

Affirmat, falſo licèt omine, ídque riſu petulantiſſimo, haſce nugas uſui non ampliùs fore. Eodem decocto pudore *Georgium Withers* Poëtaſtrum, Regiis indutum veſtibus, coronat, & magnificè ambulantem hinc inde ducit. Hæc ſicut & Eccleſiæ vaſa, pretioſáque ornamentorum ſuppellex, venalia proſtant: Ne calice quidem ad vini ſacramentalis uſum flagitantibus relicto. Aſſerebant ſacrilegi & in diſculo meliùs adminiſtrari. Nec mirum ſi Sacra tàm impiè, cùm ſacrorum Miniſtri tàm barbarè haberentur. Horum quindecim ſupra centum in urbe, & urbis viciniâ, ob fidem Regi præſtitam, unà cum conjugibus, & conjugii pignoribus, ejecti, ſpoliati, carcere, exilio & fame, miſerè abſumpti. Immanitates omnes, quibus orthodoxus Clerus afflictus, enarrare; Avaritiam, quâ Eccleſiaſticorum bona rapiebantur, exponere; & Impietatem, quâ ſacræ Orationis ædes devaſtabuntur, referre; integrum equidem Volumen, munus clariori Scripture non indignum, poſtularet.

Londinum Rex arbitratus incendiorum fomitem, Comitia longiùs ab urbe removet. Publicato Decreto *Oxoniam* transferuntur. Huc Proceres ferè omnes, & du-

Comitia Oxoniam transferuntur.

duceni paulò minùs inferioris Conſeſsûs viri advolant. Ipſi *Bedfordiæ*, *Hollandiæ* & *Claræ* Comites, victoriarum in occidente famâ moniti, ad Regem tranſeunt. Quem & eâdem levitate verſâ fortunâ deſerunt. Cæteri *Weſtmonaſterii* remanent, à ſuis progreſſu temporis hinc deturbandi. Hæc prima *Oxonienſibus* cura, ut *Scotos* literis monerent, nè *Angliam* armis infeſtarent. Hoc læſæ Majeſtatis crimen. At fruſtrà. Regis & Procerum literas Carnifici comburendas tradunt *Scoti*. Seneſcente jam anno, octodecim mille Pedites, duo Equitum millia, * Equo-pedites mille, ſuperato *Tyna* amne, *Kal. Mar.* in bellum proruunt. Obteſtantur ſe nihil aliud quàm Religionis reformationem, Regis honorem, & Regnorum pacem in animo habere. Non mediocriter Regis animum perculit *Scotorum* expeditio; quos *Angliam*, *Montiſroſano* non audito, vix invaſuros crediderat. *Hamiltonium*, (qui cum fratre, quaſi inſperatâ rei novitate attonitus, ex *Scotia Oxoniam* appulerat,) in carcerem conjicit. Hinc proditionis poſtulatus, ad *Pendennifianam* arcem mittitur. *Lanericus* frater, elusâ cuſtodiâ, *Londinum* fugit. Indè in *Scotiam* ſuam, quam nuper

* Dragoons.

Scoti Angliam *invadunt ingenti exercitu*, Jan. 22. 1643.

nuper ac ſi intutam reliquerat, citiſſimè ſe recipit.

Novi-Caſtri Marchio, (eâ enim ob res præclarè geſtas dignitate nuper inſignitus,) aditum *Scotis* præcluſurus cum exercitu occurrit. Crebris properantes præliis, & velitationibus impedit. *Langdalius* in aciem deſcendendum, remque ferro decidendam ſæpiùs monuerat; at fruſtrà: reluctante *Kingio*, qui & ipſe *Scotus*. Igitur verſus *Eboracum* recedere coacti Regii. *Fairfaxii* expugnatâ *Selbeyâ*, exercitum etiam abſente *Neocaſtrenſi*, non contemnendum paraverant. Addiderat, poſt captam impetu *Lincolniam*, majores copias *Manconæ Comes*. Tot hoſtibus *Neocaſtrenſis* impar, nè tribus ſimul exercitibus includeretur, verſis ſignis *Eboracum* proficiſcitur; quem inſequuti hoſtes, junctis viribus coronâ cingunt.

Neocaſtrenſem Eboraci *corona cingunt.*

Rex tanti viri & virium diſcrimine motus, *Rupertum* Principem, ingentibus inſtructum copiis, in eorum auxilium mittit. Hic, paulò antè devicto ad *Newarkam Meldrumo* Equite, oppidum ab obſidione non tantùm liberaverat; ſed cæſis hoſtium ſupra mille, reliquos in anguſtias redactos, qui ad ſex mille numerabantur,

merabantur, armis & impedimentis ſpoliatos ad deditionem coëgerat. Tum caſtra ſeptentrionem verſus movet. Receptis in viâ *Stoppfordiâ* & *Lizerpalo* oppidis, liberatáque nobiliſſimâ *Derbiæ Comitiſſâ Lathomiæ* diu obſeſsâ, *Boultoniam* defenſionem auſam, ſecundâ aggreſſione expugnat; occiſis è præſidariis octingenis, oppidanis plerumque. Hi nimium ſibi & munimentis fiſi, Principem dicteriis laceſſiverant; damnato ad ſuſpendium ſub ipſius oculis Regio Centurione. Hæc ſævitiæ nec immeritò cauſa; capti ſupra ſexcenti, quibus omne inſtrumentum bellicum acceſſit. Continuato Princeps itinere, *Eboracum* tandem pervenit. Adventantium famâ territi hoſtes, urbem relinquunt; quos adoriri infœliciter ſtatuit. *Neocaſtrenſes* interim laceſſunt abeuntium terga. Nec ipſi ulteriùs pugnæ avidi. Quippe diutinâ novem hebdomadarum obſidione fracti, arbitrabantúrque Principem longo itinere fatigatum. Adde quòd non ſatis ſibi ipſis hoſtibus, de imperio inter ſe certantibus, conveniebat. Princeps verò moram non paſſus, ratúſque reportatam è *Scotis* victoriam, belli finem, caſtra movet; Fœderatóſque in campo

campo ad *Marſton-Moor* quarto ab urbe lapide inſtructâ acie offendit. Tres hoſtium exercitus in unum contracti, à tribus ducibus regebantur. *Fairfaxii* Pater & Filius dextram alam; medium agmen *Scotos* omnes *Levenus*; *Manconii* Comes ſiniſtrum Cornu ducebat. Addebantur unicuique ſubſidiariæ turmæ & cohortes. *Rupertus* viſo hoſtium ordine, aciem etiam explicat; ſepoſitóque ſibi ſiniſtro ſuorum Cornu, alterum *Neocaſtrenſi* tradit; creditâ *Goringio*, *Lucaſio*, *Portero* mediâ acie. Et profectò, nuſquàm hinc inde durante bello, majoribus copiis aut fortitudine pugnatum. *Rupertus Fairfaxianos*, quibus & Scotici Equites ſe adjunxerant, adortus, in fugam vertit; fugientibus, utì mos erat, in ſuorum perniciem acriùs inſiſtens. Eadem medio agmini pulſis *Scotis* fortuna. Verùm alia ad dextram rerum facies. *Manceſtriani* Regios fugârant; & maturiùs redeuntes in turbatos Principis & *Goringii* ordines impetu vecti, eos quò minus conglobarent impediunt, impeditóſque rumpunt. Traditur tres trium exercituum duces, è prælio tanquam victos receſſiſſe. *Cromwello*, *Manceſtriæ* Vicario,

Prælium ad Marſton Moor, 5. Id. Jul. 1644.

rio, victoriæ honos relictus. Ille ſubſidiariâ Equitum manu, cui præerat, ſervatis ſtrictim ordinibus, Regiis adeò impendebat, ut milites iterùm cogi, aut ad ſigna revocari non potuerint. A ſeptimâ veſpertinâ uſque ad decimam certatum. Tormenta bellica, & campi ſpolia Fœderatis ceſſêre. *Neocaſtrenſis* legiones, veterani milites, non inulti ceciderunt. Fugatis cæteris, in orbem conjecti *Cromwello* ſoli obſtitêre. Nec ſe abrumpi paſſi ſunt, donec non interruptis globulorum imbrium eminus emiſſionibus, editâ magnâ hoſtium Strage, paucis admodùm ſervatis, ferè omnes periêrunt. Interfecti hinc inde octies mille. *Rupertus* ſerius cum rediiſſet, collectis quas potuit belli reliquiis, *Lancaſtriæ* Comitatum repetit. *Neocaſtrenſis* cum duobus filiis, aliiſque præcipuis ducibus conſcenſâ nave, *Hamburgum* navigat; relictâ ſuis diſſidiis & tumultibus *Angliâ*. Sparſis itáque in diverſa loca Regiis, *Eboracum* à tribus iterùm exercitibus expugnatur. Deficiente verò nitrato pulvere, quem ſuperior pugna abſumpſerat, à *Glenhamo* Præfecto non iniquis legibus deditur. Hâc victoriâ, ſeptentrionales Provinciæ

Rupertus *bello fuſus* Lancaſtriam *repetit.*

ciæ fere omnes Parlamento acceſſêre.

Fœlicior aliis in locis Rex, eo ipſo præſertim duce. *Wallerus* amiſſo ad *Devizes* exercitu, alium comparaverat. Tam altè *Londinenſium* animos inſederat *Sacri*, ut vocabant, *Belli* furor; ut prandio contenti, nocturnæ morem cœnæ ſemel in hebdomade abdicarent, quo liberaliùs armorum ſumptibus adeſſent. His copiis *Aruntinæ* caſtrum recipit, paulò antè ab *Hoptonio* expugnatum. Vocatis verò *Balforio* & *Hazelriggio*, quos *Venta Belgarum* detinuerat; cum ipſo *Hoptonio* & *Forthæ* Comite prope *Alfordiam* decertat. *Wallerus*, acceptæ ad *Devizes* Cladis non immemor, acerrimè pugnat. Peditatus utrinque adverſis haſtis fortiſſimè dimicat. At Regii numeris impares loco cedunt. *Forthius* præmiſſis ad *Ventam* tormentis, nè & Equitatus periclitaretur, obverſo agmine *Baſingiam*, dein *Oxoniam* regreditur. Cecidêre ex Regiis quingenti; quos inter nobiliſſimus *Johannes* Ducis *Lenoxii* frater, *Johannes Smith* Eques, *Sandiſius*, *Scotus*, & *Maningius* Tribuni. Centum ex ſuis periiſſe vix Parlamentarii agnoſcebant; ſauciis *Dalbiero* & *Tompſonio* Tribunis.

Wallerus *Regios fugat.*

Nec

Nec diù insultat *Wallerus*: Jámque *Essexio* jungitur; iisdémque viribus *Oxoniæ* obsidionem minantur. Hoc Rex cùm intellexerit, præmissâ versùs occidentem Reginâ, quæ *Exoniæ* Filiam *Henriettam* enixa; ipsemet firmatâ urbe præsidio *Vigorniam* versus circà tribus Equitum, & quatuor Peditum millibus movet. Abeuntem subsequuntur binis castris duces. At *Burfordiæ* rursus congressi. *Essexius Wallerum*, additis *Masseyi* copiis, ad opprimendum Regem mittit. Ipse ad subjugandas occidentales Regni Provincias proficiscitur. Hoc modo uterque deletus. Rex enim elusо *Wallero*, subitaneis castris progredientem prætergressus, *Burfordiam* revertitur. Hic tormenta copiarúmque additamentum ab *Oxoniâ* habuit. Jámque hostem provocare ausus, sejunctósque aggressus, *Wallerum*, cum exercitu undecim millium, justo ad pontem *Cropredie* prælio vicit. Hostes colle occupato, trajicientes Regios magno animo impetunt. At majori fortitudine à *Clevelandiæ & Northamptoniæ* Comitibus excepti, funduntur, fugantúrque. Cæsi captíque ferè mille, nullo Regiorum damno. Profligato *Wallero*, Rex *Essexium*

A Rege vincitur Jun. 30. 1644.

Eſſexium inſequitur. *Liskardam* octo ab *Uxella*, ubi Rebelles caſtra poſuerant, milliaria pervenit. Munita quædam loca hoſtes in itinere, ut *Tautoniam*, *Dimutium*, aliáque ſui juris fecerant. Jam *Exoniæ* proximis, Regina puerperio ægrotans tubicinem mittit; precata, ut donec convaluerit ab hoſtilitate abſtinerent. Rogavit etiam ut ſalvus ſibi ductus, facultásque ad † Aquarum calidarum Fontes eundi daretur: cui crudè ab *Eſſexio* reſponſum, *optima* Londini *remedia*; *liberum huc commeatum ſe polliceri*, *aliam ſe neſcire viam quæ Reginæ aperiretur.* Hominis inurbanitatem Princeps ægrè ferens, relictâ, nè obſideretur, *Exoniâ*; conſcensâ nave in *Galliam* ſe recipit. Interim agitatur in *Eſſexii* campo, utrùm progredi exercitus debeat, an verſis ſignis Regem adoriri: nè inter illum, cùm in *Cornubiæ* anguſtias perventum, & *Mauritium Palatinum* intercluderetur. Poſtremum ſuadebat major ſaniórque Concilii pars. At *Robertſius* Baro pergendum inſtat, ut laboranti longâ obſidione *Plymoutho* ſuppetias ferrent: *Cornubienſium* verò copiarum additamento

† The Bath.

Regina in Galliam ſe recipit.

facilem à *Mauritio* victoriam. Vicit ejus ſententia.

Regii milites priori ſucceſſu feroces, hoſtem inclamant. At Rex victoriæ cunctando certus, aditus ad hoſtes & vias occludi jubet. Ipſe Caſtra ad *Boconnock* metatus, *Richardum Greenvil*, *Bodminiam*, & *Jacobum Aſhleyum*, *Hullam* mittit. *Goringius* Equitatum, *Baſſetus* mille & quingentos pedites Occaſum verſus ducit; qui, poſitis circumcircà ſtationibus, commeatum omnem ab hoſtibus jam obſeſſis arcerent. In anguſtias itáque redacti Rebelles, de deditione conſilium ineunt. Equitatus omnis, bis mille & treceni, *Guillelmo Balforio* duce, ſub ſpeciem velitandi, per ſtationum intervalla erumpentes, relicto exercitu aufugêre. *Eſſexius*, *Robertſius*, aliíque primarii Duces cymbam nacti *Plymouthum*, fidum partibus portum, adnavigant. Criminis loco à nonnullis tanto Imperatori objectum, quòd exercitum ſummis in periculis deſeruerit. Ab aliis verò excuſatus, quòd tanto in diſcrimine ſeipſum, primarios duces, Equitéſque fugâ; reliquos verò, Deditionis legibus, Reipublicæ ſervaverit. Ab omnibus verò damnatus

tus *Mancheſtrenſis*, & *Middletonius*; præſertim, utpote *Eſſexio* propior, ut & *Wallerus*; qui in extremis verſanti auxilium non tulerint. Deſerti Pedites Regi deditionem offerunt; iis brevi aſſenſum. Amabat Rex hoſtes Clementiâ, potiùs quàm Armis ſuperari. Salva omnibus libertas; præcipuis conceſſus gladiorum uſus. Quadraginta ænea tormenta, ducenta nitrati pulveris dolia, armorum impedimentorúmque ingens numerus Victoriæ præmium. Gregariorum aliquot millibus, ad Regias partes tranſire datum. Cæteris, qui multo plures, facultas quò vellent abeundi; eâ tamen lege, ut arma nunquam in Regem gererent. Quod verò tàm ſanctè promiſſum, eâdem quâ *Branfordienſes* olim Perjurii levitate violârunt. Cùm enim ad *Baſingiam* perventum, arma illic oblata reſumunt; obſervatúmque á plurimis nullos poſteà acerbiùs, atrociúſque in Regem pugnâſſe.

Eſſexiani fugato duce caſtris exuuntur, Sept. 1644.

Rex verò nec adverſis fractus, nec ſuperbus proſperis, Pacem quam nuper ab *Eveſhamo*, jam ab *Taveſtokio* offert. Legatos pacis agitandæ causâ, mitti à Comitiis enixè poſtulat. At ſurdis canit.

Rex pacem poſt victoriam ambit.

Idem antèa *Eſſexium* rogaverat, cùm in Caſtris ad *Uxellam* obſideretur. Optabat, *ut juſtis viribus pacem Regno & fœlicitatem procurarent, quod utrique pergratum: ut ſuum eo ſibi officio Regem æternùm devinciret: ut ſi quis tàm piis juſtiſque Conatibus adverſaretur, vel nolens & invitus beatus fieret.* Nihil verò ab *Eſſexio*, præterquam ſe ad dimicandum, non ad colloquendum, *quàm male!* à Comitiis mandata accepiſſe.

Itaque Veteranorum acceſſione auctus, ut & urbanis aliquot Cohortibus, Comitis *Manconii* exercitu, *Walleri*, *Brownii*, aliorúmque ducum Copiis adeò excrevit, ut Regem ſit auſus *Neoburiæ* ſecundò aggredi. Statuerat equidem Parlamentum primùm adire; infœlicíſque ſeriem expeditionis coram Ordinibus narrare. Ii vero literas *Eſſexio* dari curant, quibus ſibi compertum eſſe aſſerant; *eum nulli imperatorii muneris parti defuiſſe. Proinde de ejus fide & virtute certi orant, nè animum deſpondeat; ſed præteritis omiſſis ad majora aſſurgat.* Addunt inſuper, *ut omni arte viam Regiis* Oxoniam *verſus obſtruat; fortunæque potiùs cuncta permiſceat, quàm liberum iter patiatur.*

Rex

Rex oppidum insederat, at hostibus longè numeris impar: Adituș muniverat, instructâ inter oppidum & Castrum acie: Locus satis opportunus. Hic *Rupertum* Principem & *Antonæ* Comitem expectabat. Is mille Equitibus obsessam *Banburiam* liberaverat. Ille ter millibus Equitum stipabatur. Hostes nec Regios ad prælium allicere velitationibus poterant, nec eos aggredi sine discrimine ausi. Dividunt itáque copias, *Wallerò*que, *Balforio*, & *Skippono* in oppositam oppidi plagam, ad pagum *Cheveley* missis, Castra hinc inde simul impetunt. Acerrimè utrinque pugnatum; dum Regii *Eboracenses*, *Essexiani Cornubianæ* cladis memores, damna pari animorum fortitudine ulcisci moliuntur. Regii tandem numeris oppressi, aggerem & quinque tormenta bellica deserunt; nec ideò cessatum, donec nox prælium diremit. Occidêre è Regiis, utì creditum, ter mille, inter quos *Carolus Goringii* Frater, St. *Leger*, *Treville*, aliique inferiores Ordinum Duces. Inter vulneratos *Branfordiæ Comes* capite saucius, *Johannes Greenvilius* Eques, *Campfeldius* Eques, *Alfordius*, *Walgravius* Junior, &c. Captus nobilis *Clevelandiæ* Comes. Nec incruenta Rebel-

Prælium Neoburiense secundum Oct. 19. 1644.

libus concertatio, amissis suorum bis mille & quingentis. Relictis Rex in Arce *Denningtonensi* majoribus tormentis impedimentisque; exercitum *Calevam*, *Oxoniam* deinde ducit. Nocturnus Regis recessus, Parlamentariis victoriæ confessio. Nec victus tamen, cujus impedire recessum non poterant.

Pulsis Regiis prædæ inhiant *Essexiani*. Arcem obsidione cingunt; at dispari fortunâ. Ter frustrà ad deditionem vocatus *Boysius* Gubernator, trinam hostium aggressionem animosè repulit. Tempus adeò protraxit vir strenuus, ut Rex Arci subvenerit, abductis quæ illic deposuerat tormentis; *Neoburiâ* etiam, aptâ pro Hibernis statione, occupatâ.

Boysius arcem Denningtonensem fortiter defendit.

Non placent Parlamento res gestæ. Quosdam inquirendis suorum Erroribus delegant. Id præsertim curæ, ut seriò investigetur, quonam fato prælium *Neoburiense*, ac *Denningtonii* obsidio, non fœliciùs cesserint? In iis certè Parlamentarii numeris multò superiores. Gravia equidem inferior Domus de *Essexio* suspicabatur. Nec viri fides in dubium revocata; sed eum remissiùs agere existimatum, in Pacem fortasse & Procerum dignitatem asserendam procliviorem. *Cromwellus*,

wellus, cùm de re ad Arcem *Denningtonenſem* geſtâ, coram Comitiis fuſiùs peroraret; *Eſſexii* copias non obliquè carpſit. Hoc indignatus imperator, famam delatoris ruinâ vindicare decrevit. Accerſitis in partes Commiſſariis Scoticis, in quos nimiùm etiam garrulus *Cromwellus*; fidiſſimo amicorum Conventui, eum, tanquam communem inter utramque gentem *Incendiarium*, accuſavit. Accuſationi & aſſenſum præbuit *Loudenus*, *Scotiæ* Cancellarius. At *Maynardii* & *Whitlockii* monitis, quos in conſilium vocaverat, in contrariam ſententiam ivit. Invaleſcente verò in Comitiis *Independentium Factione*; placuit Ordinibus, non *Eſſexium* tantùm, ſed & *Presbyterianos* omnes amovere. Quo tamen eum demulcerent, decem millia librarum Sterlingarum ei ex *Delinquentium*, (ſic Regios vocabant,) Reditibus, decernunt; *in perpetuam à ſe rerum pro Publico geſtarum memoriam.* Genuina autem liberalitatis cauſa potiſſimùm hæc fuit, nè ſequenti Decreto adverſaretur. Enimverò, nè arcanum detegeretur, viſum eſt publici larvam commodi obtendere. Decretum igitur, *ut cuncti utriuſque Domûs Ordines & membra, depoſitis quibuſcumque militaribus*

Eſſexius *in* Cromwellum *invehitur.*

ribus Præfecturis, ad manera queis deſtinabantur in Parlamento redirent. Proceres aſſenſum huic Decreto, quorſum tenderet non ignari, donec ſubornatis ab urbe & provinciis petitionibus, tantùm non coacti, non præbebant. Aſſentientibus tandem Inferioris Domûs Delegati, iis eo nomine gratulabantur; additis promiſſis, ſe eorum honores & privilegia ſemper ſuſtentaturos: non obſcurum Superioritatis indicium. Soli *Cromwello* venia in caſtris manendi. Creditum *Thomæ Fairfaxio* Equiti armorum imperium. Copiæ omnes, ac ſi de novo conſcriptæ, luſtrantur. Hic utriuſque partis calculis approbatus. Audax nimirùm; nec ſui appetens. Sibi conſtans, &, ſi naturalem hominis indolem ſpectes, immotus. A pluribus tamen obſervatum, Conſtantiam illam animíque robur frangi Religionis præſertim diſputationibus. Indè *Cromwellus* illi Vicarius, famoſus in ſacris Impoſtor. Semotis paulatìm, variiſque artibus, *Presbyterianis*; fervidiores *Independentium* Sectarii, in eorum loca callidè ſuffecti. Tunc clauſula de conſervanda Regis perſona, olim in *Eſſexii* mandatis, nunc Inferioris Domûs decreto è *Fairfaxii* diplomate expuncta.

Fairfaxius Eſſexio *ſucceſſit.*

puncta. Quaſi erubeſcerent, ſe fictitiis Regiam perſonam mandatis tuitos, dum infinita in ſacrum caput tela vibrarentur.

Exercitus utrinque in Hybernis. Quieſcunt Regii. Comitia verò novo Ducum delectu, Novantibus adulantur. Interim ſanguinem vel ſecuri ſitiunt. *Alexander Careus* Eques, ut & *Hothamii* Pater & Filius, tardiùs reſipiſcentes, munimenta quibus præerant; ille *Plimoutham*, hi *Hullam*, Regi tradere tandem decreverant. At intercepti, & militari ſententiâ damnati, capite plectuntur. De *Hothamiis* anteà monuimus, nullorum lachrymis ob Inconſtantiam proſecutis. De *Careo* hoc addiderim notatu non indignum. Cùm de *Straffordiæ* Comitis ſententiâ in Comitiis ageretur; *Bevilius Greenvilius* Eques, virtute clarus, aſſidentem juxta ſe *Careum* his alloquutus eſt verbis. *Abſit, Domine, ut quiſquam Noſtratium,* (ambo enim *Cornubienſes,*) *ominoſæ huic legi aſſentiat. Proinde, ut tu in contrarium opineris, obſecro.* Hiſce alter. *Etiamſi mihi eadem primò mors, ſuper idem pegma, eâdemque ſecuri ſubeunda; aſſenſum huic, quam ominoſam vocas, legi non negaverim.*

Hothamii *capite plectuntur. Ut &* Careus Dec. 22.

gaverim. Et profectò quàm verè, quámque in omnibus exactè ſua aperuerit fata, vidimus.

Et Archiepiſcopus Cantuarienſis.

Hos verò omnium bonorum luctu excepit *Willielmus Laudus*, Archiepiſcopus *Cantuarienſis*. Liturgiam, publicarúmque Precum Codicem abrogaverat impia Sectariorum plebecula, futili *Directorio* in eorum loca ſubſtituto. Sed non auſa eſt illum, vel Parium judicio, vel duodenariæ Inquiſitioni, utpote innocentem, & nulli obnoxium legi ſubjicere. Decreto Inferioris Domûs, in quâ & Procerum Reliqua pudendâ aſſentatione ſedebat, damnatus eſt. A *Scotis* Incendiarius, publicúſque Hoſtis olim vocatus, nunc auxilii dati ſtipendium, eorum ambitionis & ſuſpicionum victima. Decebat ſacrilegas inter gentes, fœdus Epiſcopali cruore ſanciri. Hic ſummum Eccleſiæ Anglicanæ Columen, ut in viti illuſtris, ſic in morte admirandus. Funebrem è pegmate Orationem ipſemet, tanquam è ſuggeſtu, habuit; profeſſus inter alia, *ſe pro Eccleſiâ & Rege mori.* Eâdem vultûs & animæ, quam Creatori jam jam oblaturus, tranquillitate. Exulârant teneri languores iſti, quibus illuſtrem

illuſtrem *Straffordium* proſequebatur; cùm eâdem viâ ad ſupplicium tractus, Præſulis preces & benedictionem depoſceret. Inſitum eſt generoſis animis, magis amicorum quàm ſuis infortuniis affici. Cervices humillimè ſubjecit Vir bonus, optimus Præſul, Eccleſiæ Reformatæ Protomartyr, à Pſeudo-reformatis trucidatus.

Nec ſic publicæ Severitati factum ſatis. Nocentiores jam malefici puniendi. *Macmahon* & *Macquirius*, nobiles *Hiberni*, neſandæ Conjurationis in *Hibernia* conſcii, ſceleríſque ſocietate impliciti, merita ſupplicia ſuſpenſi & in partes ſecti perſolvunt.

Ac nec dum de imperio decretum. Res in longum producta eſt. Affulſit non ſemel eam paci componendi ſpes, colloquio præſertim *Uxbrigenſi*. Diximus à Rege ſæpiùs miſſos Parlamento de pace Nuntios. Ab *Eveſhamo* & *Tavistokia*, Profligato ad *Copredie Wallero*, & ad *Uxellam Eſſexio*. Idem *Oxoniam* reverſus actitat. Sitiebat enim Princeps tandem aliquando pacem afflictis Regnis dari. At nè id omnino reſpuere viderentur Ordines, *Scotorum* conſenſu Pacis propoſita amplectuntur.

ctuntur. Poſtulata verò adeò iniqua interjiciunt, ut vel iis aſſentire, ſalvâ Majeſtatis conſcientiâ, nequaquam Rex potuerit. Deſiderant modeſti homines,

Colloquium Uxbrigenſe.

Hierarchiam extirpari; *Epiſcopatum & Liturgiam aboleri*; *Presbyterialem diſciplinam* & Directorium *ubique obſervari*; *Poteſtate Regem militari & civili, etiam in* Hibernia, *exui*; quó que inhumanius, *Procerum, Inſignium*que *virorum plurimos eorum Tribunali ſiſti*, morti proculdubiò & carceribus tradendos. Quaſi verò Regem hoſtibus ignoviſſe Rebelles parvi pendant, nili & amicos prodiderit. Ac nè a Propoſitorum immanitate diſcedere, vel ipſi argumentorum vi cogerentur; Regi Regiiſque Legatis in contrarium adnitentibus; colloquium ſubitò abrumpunt, cauſam Ferro decidendam permiſſuri.

Salopia *intercipitur.*

Tunc temporis *Myttonius Salopiam* magno Regis detrimento, ſibi proditam intercipit. Caſus Regem non mediocriter perturbavit, & afflictas Perduellium res ad majorem ſpem erexit; quòd Urbs armorum officina, magni, ad retinendam in obſequio *Cambriam* ſeptentrionalem, momenti eſſet. Idem

Scar-

Scarborough & *Dimutii*, Regiorum munimentorum, fatum; ut & *Weymouthæ* à *Goringio* fruſtrà obſeſſæ liberatio. Fuderant anteà ad *Nantovicum* Regias copias, ex *Anglo-Hibernis* plerumque, *Fairfaxius* & *Breretonius*. *Anglo-Hiberni* Britanni omnes quater mille, ad Regis auxilium venerant. Nec dubium, quin fortem Regi operam navâſſent. *Ruperti* verò Principis incogitantiâ, aliis Legionibus intermixti; nihil facinoribus dignum egerunt, quibus olim in *Hibernia* claruerant. Inter captivos *Gibsonius*, *Earnleyus*, *Fleetwoodius*, *Butlerus*, & ipſe *Monkius*, Tribuni. Eâdem fœlicitate à *Tho. Middletonio* Equite, ad Arcem *Montis-Gomeri* res geſta. Caſtrum per inſidias occupaverat, quod paulò pòſt à *Byrone* Regulo obſeſſum; ipſe *Middletonius*, cui ſe adjunxerant, *Breretonius*, *Meldrummius* & *Gulielmus Fairfaxius* Eques, commiſſo prælio liberavit. Fortuna initio Regiis favit, pulſo hoſtili Equitatu. At brevi ad Parlamentarios convertitur. Occiſi ex Regiis ter centum, totidémque vulnerati. Ex hoſtibus *Fairfaxius* & *Symonſius* Duces, præter centum plus minus, tàm cæſos quàm ſaucios. Atque jam *Eſſexius*

Variii Rebellium ſucceſſus.

us ipſe, non minor Independentibus victoria, ut & Comites *Denbighæ* & *Manconii*, & paulò pòſt *Warwicenſis* Præfecturas deponunt; inglorii, & tantùm non neglecti: Præſertim *Eſſexius*, penes quem fuerat Regno pacem conciliare.

Finis Lib. 1.

LIB

Libri Secundi ARGUMENTUM

CRomwelli *Succeſſus*. Fairfaxius Oxoniam *obſidet*. *Rex* Ceſtriâ *ſublevatâ* Leiceſtriam *expugnat*. *Prælium* Naezbienſe. *Rex prælio fractus* Herefordiam *ſe confert*. Tauntoniæ *obſidio ſolvitur*. Goringii *apud* Langportam *clades*. Pontaquinum *deditur*; *ut* & Briſtoliâ. *Regis expeditio*. Venantodunum *intercipitur*. Scoti Herefordiam *fruſtrà obſident*. Lon-

dinenſium *inſania.* *Infelix* Digbei *expeditio.* Barclayana *arx deditur, ut &* Devizes *&* Laicock. *Capta* Tivertonia. Fairfaxius Exoniæ *imminet.* Wintonia *deditione,* Bazinga *impetu capta.* Carolus *Princeps, pace fruſtrà quæſitâ, in* Galliam *navigat.* Hoptonus Torringtoniæ *fuſus. Exercitum dimittit. Rex ad Scoticum Exercitum ſe recipit.* Herefordia *intercipitur.* Ceſtria *ſe dedit.* Oxoniæ *deditio. Cætera Regis munimenta ſe dedunt.* Maſſei *Miles exauctoratur. Rex* Neocaſtri *à* Scotis *divenditur. Ad* Holmbeyam *ducitur. Rerum à* Montiſroſano

geſta-

gestarum historiola. *Regis* Holmbeyæ *arcta custodia.* *Tumultuatur in Castris.* *Rex ab exercitu interceptus.* *Tumultus* Londini. *Urbs Militis arbitrio traditur.* *Rex insidiis impetitus ad* Vectim *Insulam fugit.* *Efferati Novatores in Regem & Monarchiam debacchantur.* *Rex populum appellat.* Cambri *Classicum canunt, dein* Cantiani. Fairfaxius Cantianos *debellat,* Cromwellus Cambros. Scoti *sine prælio funduntur.* Colcestria *expugnatur.* *Magna classis pars ad Principem defecit.* *Colloquia de pace.* *Rex ab exercitu accusatur.* *Pseudo-Parlamentum, exclusis ducentis*

centis minùs novem, purgatur. Rex Londinum *ducitur. Tribunali ex ſibi ſubditis ſiſtitur. Accuſatur, damnatur, & à larvato carnifice perimitur. Ejus Elogium.*

Com-

Commentariorum

De

Rebellione Anglicana

Liber Secundus.

FAirfaxius, compoſito *Vindezoriæ* exercitu, *Kal. Maii* caſtra movet. Ad *Tauntoniam*, diù à Regiis obſeſſam, liberandam mittitur. *Cromwellus* paulò ante in Equitatûs Magiſtrum aſſumptus, perturbandis Regiorum apparatibus *Oxoniam* petit. Hic bis mille Equitum ad pontem *Iſlipenſem* fundit, cæſis nonnullis, captis quadringentis Equis, ducentis Militibus, & inter alia ipſius Reginæ labaro. Intercipit etiam *Guillielmum Vaughanum* Equitem, & ducentos è ſuis, deditámque ſibi *Blechintoniam* funditùs diruit. Succeſſu ferox, ſexcentis ab *Abingdonia* peditum auctus *Faringdoniam* impetit. At magnâ clade à *Liſleyo* Gubernatore exceptus, à *Gorin-*

1645.

Cromwelli *Succeſſus.*

Faringtonii *pulſus recedit.*

Goringio ſuperveniente, amiſſis tribus ſignis, recedere coactus eſt. *Fairfaxius*, acceptis in itinere novis à Parlamento mandatis, *Weldenum* Tribunum & ſex millia militum *Tauntoniam* mittit. Ipſe advocatis *Cromwello*, *Brownio*, cæteríſque partium Ducibus, *Oxoniam* adit; quam, poſitis circumcircà caſtris, obſidione cingit. Ea enim Urbs in meditullio regni ſita, Rebellibus undique imminebat, magnificúmque videbatur ipſam Regiam & adverſæ partis caput attentare. *Weldeno Tauntoniæ* proximo, Regii oppidum relinquunt, univerſas hoſtium copias adeſſe autumati. Cæterùm detecto errore, *Goringius*, *Hoptonius*, *Grenvilius*, conjunctis viribus, *Weldenum* ſuperatum intra *Tauntoniæ* mœnia arcent.

Fairfaxius Oxoniam *obſidet.* Maii 22.

Interim Rex, abſente *Fairfaxio*, Equitatum omnem, *Ruperto* & *Mauritio* Ducibus, acciverat. Tum Peditatum omnem & tormenta *Oxoniâ* educit, *Cromwello* & *Brownio* Regi moras afferre fruſtrà molientibus. Inde Rex *Ceſtriam*, à *Breretonio* diù obſeſſam, properat, recedentibus illo adventante Parlamentariis. Subitò Princeps verſis agminibus *Leiceſtriam* advolat, urbíſque deditionem minaciter

Ceſtriâ *ſublevatâ*, *Rex* Leiceſtriam *expugnat.* Maii 31.

naciter imperat. Magna bellici apparatûs, reíque cibariæ in urbe copia. Territi Præſidiarii rogant, ut, conceſſo temporis ſpatio, quid ſibi agendum conſulant. A Rege ultra quartam horæ partem negatum. Itaque tormentis quaſſata, & ingredientium inſultibus impetita mœnia, poſt acrem & longam defenſionem expugnantur. Conglobati in foro Præſidiarii, auſi ſunt prælium inſtaurare. Hinc magna ſtrages, & opimæ urbis direptio. Captus *Grayus* Præfectus, & Parlamenti Legati.

Hâc victoriâ Regiæ partes, omnium ferè calculo, ſuperiores æſtimatæ. Imò ipſe Conventus *Weſtmonaſterienſis*, periculi magnitudine, ſuorúmque diffidentiâ & diſſidiis perculſus, citiſſimè *Fairfaxium* jubet, ut omiſsâ *Oxoniâ* (perperàm obſeſsâ) Regem quantocyùs ſequeretur, & ad pugnam provocaret. At Rex de *Oxoniâ*, ut & *Pomfrectenſi* arce diù obſeſsâ ſollicitus, utrique opem ferre ſtatuit. Urbi magnam boum oviúmque copiam mittit validâ Equitum manu, poſitis, dum reverterentur qui commeatum ducebant, ad *Veronetum* caſtris. Sublevatâ *Oxoniâ*, decretum *Pomfretam* adire, ſuadente *Langdalio*. Fuere qui ca-

ſtra Occidentales verſus Provincias amovenda hortarentur. Sic *Goringium*, magnarum copiarum Ducem, obvium haberent. Hujus viribus auctus Rex, *Londinum*, diſſidiis & terroribus invalidum, aggredi & expugnare nullo negotio poſſet. Interim *Fairfaxius Gilsburgum*, quinque à Regiis milliaria, pervenerat. *Iretonium* cum expeditâ Equitum alâ ad laceſſendos Regios mittit. Hic in poſtremam Regiorum aciem invectus, in Vico *Naezbii*, eam non tantùm turbat, ſed terrorem omnibus infert. Rex ipſe inexpectato caſu perculſus, hoſpitio noctu relicto, ad Vicum *Harborough* primi agminis ſtationem feſtinat. Ibi convocato protinùs Concilio, ſpretâ eorum ſententiâ qui pugnam evitandam, *Goringiúmque* expectandum ſuadebant; *Fairfaxio* obverſis ſignis, obviàm ire ſtatuitur.

Prælium Naezbienſe. Junii 14. 1645.

Jamque illuxerat fatalis Regi & Regno dies XVIII. *Kal. Jul.* eóque funeſtior, quòd atrociſſimæ tyrannidi ſpecie libertatis famulatus. Annunciatum Regi, at falsò, Parlamentarios retrogredi; ac in proximas fœderatorum Provincias abeundi conſilium iniiſſe. Unde ne ſe ſubtraherent cura. Relictis itaque præ feſti-

feſtinatione tormentis majoribus, Regii, rapto agmine, fugientes, utì credebant, inſequebantur. At Hoſtem inſtructâ acie in campo prope *Naezby* obvium habent, paratúmque ad pugnam. Locus ipſe mille paſſuum longitudine, inæquali ſitu, cujus pars colles erant leviter adſurgentes, pars in planitiem porrigebatur. Hoc viſo, & ipſi adornato exercitu in aciem deſcendunt. Rex ipſe medium agmen, *Rupertus* & *Mauritius Palatini* fratres dextram Equitum alam, *Langdalius* Eques ſiniſtram moderatur. *Lyndzeyus* Comes, & *Aſhleyus* Regulus, Peditum legiones dextrorsùm tuentur; ſiniſtrorsùm *Bardus* Regulus & *Georgius Liſleyus* Eques. Pone hos ſtat *Howardus* Chiliarcha, cum ſubſidiaria Equitum turma. Clauduntur omnes Regis Prætorianâ (poſt principia ſepoſitâ) & *Ruperti* Peditum legione. Nec abſimilis hoſtium Ordo, aut inæqualis Numerus. *Fairfaxius* ipſe cum *Skippono*, exercitûs inſtructore, mediam cogit aciem. *Cromwellus* & *Roſſiterus* pugnant in dextro cornu; in lævo *Iretonius*. Subſidiariæ cohortes à *Raynsborough*, *Hamondio*, & *Prideo* Tribunis ducuntur. His viribus, furoréque pluſquam civili concurritur, magno utrinque

que animo & fiduciâ; quippe de ſummo Imperio certamen. *Rupertus* ſolitâ fortitudine in oppoſitam *Iretonii* alam proruit, ejuſdémque ulteriores alæ turmas tres in fugam vertit. At nimiâ vincendi aviditate ſe longiùs abripi paſſus, jam tertiùm victoriam tantùm non partam corrupit: Eò infœlicior, quòd errores in bello iterare periculoſiſſimum. *Iretonius*, poſt ſuorum fugam in proximam Peditum cohortem ruens, binis vulneribus, haſtâ in crure, & bipenni in vultu ſaucius, trucidato inſuper equo, captus eſt, brevi ſuorum victoriâ dimittendus. At aliter alio in cornu ſe res habuit. *Whalæus* Tribunus *Langdalium*, poſt acrem utrinque, cominùs, eminùs, pugnam, cum binis ſuorum turmis, in ſubſidiariam *Ruperti* Cohortem pellit; quæ ibidem conglobatæ, ab ipſo *Cromwello* cum reliquâ ſuâ alâ per circuitum ſuperveniente, omninò funduntur. Mediæ interim hinc inde acies, ferociſſimâ contentione digladiantur.

Pede pes, densúſque viro vir.

Magna Regiis victoriæ expectatio; donec *Cromwellus*, mediæ aciei advolitans, inclinantem confirmat; et denudatos Equitatu

tatu Regios aggreſſus, impares rumpit, proculcátque. Una tantùm nobiliſque ipſa Peditum manus, ſæpiùs à *Cromwello* omnibus impetita partibus, frangi non potuit. At *Fairfaxianorum* Equitatu à fronte & à tergo propulſa, tandem ceſſit, meliori non indigna fato. Vixdum ab inſequendo hoſte redierat Princeps. Hæſerat diutiùs hoſtium caſtris, quorum deditionem, at fruſtrà, imperaverat. Serò itaque reverſus, Regem convenit. Rex quævis magni Imperatoris munia perfunctus, fremens frendénſque cædem ſuorum ſpectabat; ac totâ volitantem acie fortuna magis quàm virtus deſeruit, cæterùm campum & integram Parlamentariis victoriam relinquere coactus eſt. *Fairfaxius* Regios longiùs inſequi ſine Pedite non auſus, nè novis partam jam victoriam periculis objiceret, mediam aciem expectat: venientem apertis Equitum ordinibus in medium recipit; extructóque, ut in initio, exercitu, in Regios movet. Rex interim, amiſſo utcunque Peditatu omni, ut & re tormentariâ, collecto Equitum robore, hoſtilem Equitatum Pedite nudum aggredi voluit: At præmaturo hoſtium Peditatûs acceſſu, ſuorúmque maximè ſuaſu metúque impeditus, verſo

agmine

agmine ſaluti fugâ conſulit. *Newarkam* cum ſuis, non minori feſtinatione, petit *Langdalius*. Ex *Fairfaxianis* cæſi, fauciique, tàm minores Duces quàm gregarii, circa mille. Hos inter *Iretonum*, & *Skipponius* vulneribus, fractæ fidei notis, inſigniti.

Capti ex Regiis quater mille & quingeni, ſexcentis plus minus cæſis. Impedimenta, armorum ad minimum octo millia, & immenſa campi ſpolia victoribus ceſsêre. Sex militum Tribuni; quatuor ſupra centum minores Duces; cæteræque caſtrorum exuviæ; ut & Imperium poſtea, victoriæ præmium.

Interceperunt Rebelles (nam nec triumphi opprobria reticenda) inter alia Ciſtulam, in quâ Regis literæ, tum ad Reginam, tum ad alios ſcriptæ. Haſce imprimi curant, additis improbiſſimis Commentariis. Epiſtolarum tamen contrarius exitus; quippe Regio ingenio, ſtylo, candore, majeſtate, & admirabili prudentiâ ſcriptarum. Adde quòd malè Parlamentum audiebat, à quo arcana inter maritum & uxorem, contra Modeſtiæ ipſiuſque Humanitatis jura, facinore vel Barbaris erubeſcendo, promulgata.

Fair-

Fairfaxius non minùs perſequendo hoſte quàm pugnando promptus, Regiorum veſtigiis per quatuordecim milliaria inſiſtit. Relictâ Rex *Leyceſtriâ*, per *Aſhbeyam Lichfeldam* ſe recipit. Inde *Herefordiam*, tutiorem in præſens ſedem, ubi Peditem, qui tunc rarus admodùm, ex circumvicinis provinciis colligeret. Hoſtes interim *Leyceſtriam* malè defenſam expugnant. Hìc diù inter victores agitatum, utrùm Regi inſtarent, novos ejus delectus impedituri; aut *Tauntoniæ* obſidionem ſolverent? Utrumque maximi momenti videbatur. Sed interceptis à *Goringio* ad Regem Literis, quas ementito nuntio, ſubornato ſcilicet ab hoſtibus ſpeculatori, tradiderat; quibus de deſperato Oppidi ſtatu, ultra tres hebdomadas non defendendo edocebatur; huc properare decreverunt. *Tauntoniâ* enim amiſsâ, totus Occidens, & cum illo magna exercitûs pars, quæ *Weldeno* ibi commiſſa, è manibus elaberetur. Monebant prætereà Literæ, *Goringium* brevì Regi adfuturum. Proinde, nè rem prælio committeret, magnopere ſuadebant. Hanc proculdubiò fuiſſet Rex ſententiam amplexus, ſi tabellas accepiſſet. Igitur nè intempeſtivâ loci deditione *Goringii* copiæ Regiis adderentur,

Rex prælio fuſius, Herefordiam *ſe confert.*

rentur, bellúmque tantarum acceſſione virium reſtauraretur; Parlamenti & utriuſque Regni Legatorum mandatis ſtimulati, magnis itineribus Occidentem verſus accelerant. Occupato in via templo ad *Hyworth*, repreſſiſque Ruſticis quibuſdam, qui Neutros ſe prædicabant, obſidio adventantium famâ ſolvitur. Non latebat *Goringium Fairfaxii* progreſſus. Igitur tumultuario quodam receſſu campum deſerit. Hinc allecti milites in *Goringianos* erumpunt; à quibus magnâ clade repulſi, & in ſuo, arctiùs quam anteà, oppido obſeſſi. Ferveſcente verò appropinquantis *Fairfaxii* rumore, tandem ſe ſubduxit, caſtris verſus *Langportam* motis, quò faciliùs Auxiliis à Rege expectatis obviàm fieret. Sic ſecundò liberata tantùm, non victa *Tauntonia*. Utramque obſidionem fortiſſimè ſuſtinuit *Blakius* Præfectus, majori in poſterum gloriâ, niſi in ſuum arma Principem geſſerit, nominandus. Caſtra priùs ad *Suttoniam Goringiani* poſuerant, rivulo inter ſe & hoſtem profluo. Fractis ubique pontibus, aditus hoſtes & vada inveſtigant. Tandem ad *Evil* oppidum, extructo rurſus ponte, tranſitum obtinent. *Maſſeyus* quater mille Equitibus, nonnullíſque Peditum legio-

Tauntoniæ *obſidio ſolvitur.*

legionibus *Goringii* terga premit, à quo & invicem laceſſitus. Reliquo *Fairfaxius* exercitu ſequutus, Regios conſpicit, explicatis in adverſo colle Equitum turmis: quippe ex *Langporta* ad aditum, ubi anguſtior via, deſcenderant, quo *Maſſeyum* à *Fairfaxio* dividerent. Periculo *Fairfaxius* intellecto, aciem inſtruit; Regióſque, poſt acrem pugnam, ex anguſtiis deturbat. Pulſis Regiis, hoſtilis Equitatus viam ingreſſus, *Goringii* Equitatum fortiſſimè adortus, fortiſſimè repellitur. At ſuccedente magno ſubſidiariorum numero, Regii addenſato gradu retrogredi, injecto in *Langportam* quam deſeruerant igne, coacti. Prælio & fugâ (nam *Goringium* intra duo à *Pontaquino* milliaria inſequutus hoſtis) cæſi utrinque quadringenti. Capti è Regiis ferè bis mille. Mille plus Equi: Vexilla Pedeſtria viginti, Equeſtria triginti & unum: Arma innumera; Tormenta duo; Impedimenta omnia. *Porterus Goringii* Vicarius, & quinquaginta alii ordinum Ductores inter captos numerantur. E Parlamentariis duo tantùm Centuriones. Subcenturio unus. Et quinquaginta gregarii milites. Saucii *Bethelius*, *Cookius*, &c. Nec fugientes auſus inſequi *Fairfaxius*, relicto à tergis munimento

Rebellium ad Langportam victoria.

nimento *Pontaquinenſi*. Idem igitur aggredi bellici Senatûs judicio ſtatuitur, ac, ne tereretur tempus, ſubitaneâ oppugnatione. Oppidum in planitie ſitum ad *Sabrinam* jacet. Interfluente amne dividitur; locus arte & natura validus. Foſſa equidem profunda, ſed minùs quàm par lata, triginta vix ſupra pedes, reciprocante maris æſtu quotidiè impletur. Ambitus loci non magnus. Quadraginta in ſuggeſtibus Tormenta. Omne commeatûs genus. Mille & octingeni præſidiarii Milites. Parlamentarii tot victoriis feroces, oppugnationem parant. Cives tamen primò per Fecialem monent, ut urbem dedant; ſi ſecùs, minantur extrema. *Edmundus Windhamus*, loci Præfectus, vir fortis juxtà & Regi fidus, remiſſo contemptim nuntio, ſeſe ad defenſionem accingit. Hoſtis contumeliâ irritatus, ſorte lectis, qui primò, & quo loco quiſque invaderet, admotis Machinis, injectiſque in foſſam pontonibus, in mœnia ruit: pulſis è propugnaculis Defenſoribus, majoribus eorum Tormentis potitur, & in urbem ipſam vertit: alii, Portis effractis, verſatili demiſſo ponte, aditum Equitibus aperiunt. Sic ea oppidi pars (in duas enim partes, ut diximus, dividebatur) expugnata.

Oppidum Pontaquinum (Budgwatter) *oppugnatur.* Jul. 23.

nata. Nec ſic terretur *Windamius*. Secundas *Fairfaxii* minas aſpernatus, occupatam ab hoſtibus oppidi partem comburit. Paratis ad ulteriorem urbis expugnationem neceſſariis, *Fairfaxius*, ut clementiæ ſibi famam conciliet, miſſo iterùm ad Præfectum nuntio, hortatur, ut ſi à defendenda urbe duci non poſſit, ſe bellum quidem in viros gerere, fœminis ſaltem & liberis exeundi copiam daret. Humanitatis beneficium ipſa Præfecti conjux, aliæque è matronis amplexæ. Statim in oppidum ſulminatum tonitru horrendo; exoneratiſque mortariis & tormentis, continuo & candenti grandinis imbre ædificia, ac ſi admotis facibus, conflagrabant. Oppidani ſubitaneo malo impares, attonitique Præſidiarii, ipſo tandem annuente Præfecto, *Eliotum* (à quo Magnum antehac Sigillum *Londino* Regi tunc *Eboraci* apportatum) *Fairfaxio* mittit cum deditionis propoſitis. At hic, repudiato vel Pacis nomine, omne cum Præfecto commercium declinat. Ferociter verò innuit, ut cùm pulcherrimum oppidum ſuâ ipſi pervicaciâ diruerint; traderent ſeſe, de vita tantùm ſecuri, Parlamenti arbitrio. Acceſſit *Pontaquini* expugnationi, *Bathoniæ* deditio. Indefenſa urbs,

Expugnatur Jul. 23.

Bathonia *deditur*.

urbs, *Richæo* & *Okio* Equitum Tribunis, in manus cecidit. Nobilior ad *Sherburniam* conflictus. Arci præerat *Ludovicus Dives* Eques, vir manu promptus, & fide, uti par, illustris. Rejectis *Fairfaxii* pollicitationibus, retulit se vitam potiùs quàm famam, in tali præsertim Causâ, profusurum: Et profectò strenuè pugnatum, donec obsidionalibus viis, suffossionibus, cuniculis, quatefactâ magnâ murorum parte, exæquatâ ruinis fossâ decem virorum assultûs capaci, tandem aliorum fortunam sequitur. Capti ad minimum quadringenti viri equidem fortes; Hos inter Tribunus *Thornhill*, *Johannes Wallotus* Eques, ut & ampliſſima spolia. Parcitum in præsens *Ludovico Dives*, & *Johanni Strangewayes*, Senatorii ordinis viris, ad majora supplicia servatis.

Sherburnia capitur.

Devictâ *Sherburniâ*, non in promptu occurrit, quid Partium duces susciperent. Ex iis multi bellum in Occidentales inferendum partes arbitrantur. Timebant quippe, nè fractum *Goringius* ad *Langportam* exercitum colligeret, & novo delectu in *Devoniæ* & *Cornubiæ* Provinciis augeret, Principis *Caroli* auspiciis; atque ità vocatis sibi *Greenvilio*, *Barckleyo*, cæterisque Regiis Ducibus, novum & inexpectatum

pectatum bellum oriretur. Addebant etiam peſte *Briſtoliam* laborare; unde periculum, nè contagio in exercitum irreperet. Alii *Briſtoliam* obſideri ſuadebant. *Rupertus* urbi cum validiſſimo præſidio Militum quinquies mille, præerat. Quid ſi, tractis in partes Ruſticis, de quorum fide ſatìs ambigendum, evocatíſque ex *Hibernia, Walliáque*, facili per *Sabrinam* tranſitu, Auxiliariis, novum in Regni meditullio exercitum conſcribat? Quid ſi ſe non tantùm Parlamento formidabilem, ſed & ſibi ipſis importunum reddat? Quid ſi copias longinquâ expeditione remotas omni cum *Londino* Commercio ſecludat? Illóſque à tergo, dùm *Goringius* à fronte, intercluſos laceſſat? Addebant, Urbem ſummi Regiis momenti; utpote primario portu inſignem, viribus, commercio, opibus potentiſſimam. Iis perſuaſi argumentis, *Iretonio* duo millia Equitum ad cohibendas Præſidiariorum excurſiones, vicinorúmque Pagorum, Villarúmque combuſtionem mandant. *Bedminſter* & *Clifton*, aliáque adjacentia loca, flammis abſumpta. Jamque cæterarum copiarum acceſſione aditus omnes præcluduntur; arctiuſque obſtructâ hoſtili Claſſe *Sabrinâ* Flumine, capto aggere, vulgò Portſherd, Civitas obſidione

Briſtolia *obſidetur.*

ſidione cingitur. Nec adeò pacatè Stationes ponebant *Fairfaxiani*, variis obſeſſorum eruptionibus fatigati, mutuâ utcunque Clade. At vicit virtutem numerus. Imò Ruſtici, quorum fidem in dubium Rebelles vocârant, rebellant & ipſi. Occluſis igitur intra mœnia Præſidiariis, *Fairfaxius* Principem miſſo Tubicine ad deditionem hortatur. Hic facultatem rogat ad Regem mittendi: Quod negatum ratione moræ. Miſſus iterùm Tubicen non ante craſtinum redit. Propoſita tandem à Principe vix à victis exigenda refert: Poſtulârat enim inter alia; "Ut dirutis "munimentis, Urbs in priſtinum ſtatum, "quo ante Bellum fuerat, omiſſo Præſidio, "reſtituatur: Ut nullius bona in Fiſcum "redigantur: Et ut Templa Clericis invio-"lata maneant." *Fairfaxius*, iis perlectis, poſtulat, ut Oratores conveniant, à quibus omnes difficultatum nodi dirimantur. Quædam enim in iis dubia, quædam verò non penes Imperatorem, ſed Parlamentum. At detentus diutiùs Tubicen reſponſum planè dilatorium retulit. Iratus, moræque impatiens, iterùm Principem interpellat; ut vel oblata accipiat, vel nulla præteritorum mentio habeatur. At nec abſimile aliis reſponſum. Procraſtinabatur

ſtinabatur *Rupertus* ſpe ſuppetiarum, quas ab unione *Oxonienſis* Equitatûs cum *Goringianis* copiis videbatur expectare. Scripſerat equidem *Goringius* à *Collumptone*, ſe intra viginti dies in obſeſſorum auxilium venturum. Hoc & *Fairfaxius* intellexerat. Unde intenſior illi aggreſſionem adornandi cura. At irrita ſpes, omníſque Belli renovandi conatus poſt Cladem *Naezbienſem*, & profligatum ad *Langportam Goringium*, inanis. Statutum tamen Regiis ultima quævis experiri ad defenſionem Regis; quo ſalvo, Eccleſia, Leges, bonorúmque omnium Libertates ſervabantur. Paratis ad aggrediendum omnibus X. *Decembris* die, ſummo manè, accenſo ſtraminis & faſcium cumulo, exoneratíſque quatuor majoribus tormentis, quod adeundi ſignum, in muros undequaque feſtinatum. *Montacutus* & *Pikeringus* Tribuni, *Lanfordianam* portam adorti intrant. Tum *Desboroghius* & *Fairfaxiana* legio Præſidiarios fugant, captis viginti & duobus tormentis bellicis. *Hardreſſus Wallerus* duabus cohortibus Lineam inter *Landfordiæ* portam & *Froomum* amnem expugnat. Idem *Rainsboroughii* & *Hammondii* cohortes propè *Caſtellum Priorienſe*. Hoc à *Prideo* poſt acrem

pugnam, occiſo *Priceo*, loci Præfecto, & Præſidiariis omnibus, captum impetu. Diruptis à foſſoribus ſepibus, & explanatis lineis, Equites ingreſſi acerrimam cum Equitatu Regio pugnam commiſerunt. At Præſidiarii, ſaucio graviter è ſuis *Taylero* Tribuno, & ex hoſtibus *Bethelio*, numero impares ſe Arcem inter majorem & *Colſtonii* Caſtellum recipiunt. Ex alterâ parte aliàs ſe res habuit; *Weldeno*, et quatuor quibus præerat Cohortibus non ſine Clade pulſo. Ibi vallum altius, & defenſio acrior. Injecerant in captam urbis partem ignem Regii. At inito recèns de deditione propoſito ab ipſiſmet, rogante *Fairfaxio*, extinguitur. Traditur tandem urbs durioribus, quàm anteà hoſtes obtulerant, legibus. Peditibus gladii tantùm conceduntur. Pactâ tamen Principis fide, ſe, cùm *Oxoniam* ventum, arma quæ mille erant, redditurum; totidem illis relicta. Deditâ Princeps urbe Commeatu & Præſidio validiſſimâ, rei malè geſtæ notas abſtergere non potuit. Infamiam verò auxit; quòd Regem anteà Literis haud modeſtè compellârat, ut Pacem cum Parlamento iniret, poſthabitis Conſcientiæ & Honoris rationibus. Iratus Rex Principem acriter objurgat. Auditâ

Deditur Aug. 21. 1645.

ditâ verò inſperatâ *Briſtoliæ* deditione, commotus *Leggium* Principi charum ab *Oxoniæ* Præfectura amovet, ſuffecto in ejus locum *Glenhamo*. *Leggius* tamen Amicitiæ erga Principem, non Infidelitatis in Regem reus, inter Regios poſteà Cubicularios numeratur. Ex hoſtibus vix trecenti deſiderantur. Nec pluris conſtabat nobiliſſimæ urbis Expugnatio, tormentorúmque deditio, quæ ad *Uxellam Eſſexius* olim relinquere coactus. At mirum, quòd fractis ubique Regiorum Copiis, infracti tamen eorum animi, omníque calamitate ſuperiores. Compoſitis apud *Briſtoliam* rebus, *Fairfaxius* peſtem veritus, *Bathoniam* aquis calidis, aëréque ſaluberrimo celebrem contendit; datis militi diebus ad curanda in recentioribus hoſpitiis corpora. At dum Victores quieti indulgent, nullis Rex laboribus parcit.

Poſt Cladem *Naezbienſem*, magnanimus, utcunque infœlix Princeps *Herefordiam* ſe contulerat, tutam in præſens ſedem; ubi ex circumjacentibus Provinciis, ut & evacuatis munimentis, Peditatum de novo cogeret. Haud diù ibidem moratus, per *Lichfeldiam* ad *Beudleyam* properat cum ter mille Equitibus. Hic in aliquas *Scotorum* turmas incidit, quas non *Regis Expeditio.*

multo labore fugat. Inde per *Derbeyenſem* Comitatum, rapido vectus agmine, *Gellium* ad *Sudburiam* & *Aſhburniam* devicit. *Werbecam* poſteà pervenit. Summâ dein celeritate aſſociatas Provincias incurſat. *Venantodunum*, interceptis ad portam cæſíſque Stationariis, intrat. Urbem, impoſito lytro, aliàs illæſam relinquit. *Cantabrigiam* benigno intuitus oculo prætergreſſus, *St. Ives* oppidum imperatis quingentis aureis mulctat: Denuoque per *Ouburniam* & *Danum Oxoniam* regreditur. Nec mirum, quòd Oppidis quibuſdam pecuniariam Rex mulctam impoſuerit: quippe Rebellibus liberaliter adfuerant, nullis unquam exercitibus infeſtata. Percurrerat Provincias tantâ Rex celeritate, ut inſequentibus Parlamentariis incredibiliter illuſerit; nec ab hoſtibus, *Leſley* licèt Equitatu ad decem millia auctis, potuerit unquam præpediri.

Rex Venantodunum *intercipit*, Aug. 24.

Scoti, *Hibernis* utcunque ſaginati, ut ſtationes relinquerent adduci vix poterant. Tandem, numeratis priùs ſtipendiis, caſtra meridiem verſus movent. Expugnato munimento *Canon-Froom*, inter *Vigorniam* & *Herefordiam* ſito, capto ſaucióque *Barnoldo* Gubernatore, rectâ *Herefordiam* obſidione cingunt. *Leve-*

no,

no, *Scotorum* Duci, pro patrato jam facinore, & ut illum ad majora ſtimularent, quingenta aurea dono dederant Ordines. Hinc intenſior venali Imperatori cura: Jamque in urbem obſidionalibus viis, cuniculis, tormentis, & aggreſſionibus venaliores *Scoti* impetum faciunt. At fortiùs excepti, multâ clade repelluntur. Quod verò bellicâ Virtute, aut Minis non obtinent, Arte & Dolis quærunt. Non iniquas Conditiones offerunt. Exaggerant Parlamenti poſtulata. Addunt circumjacentis regionis incolarum deſideria, qui id coacti efflagitabant. At ut minas aſpernatus, ſic precibus ſurdus *Scudmorus*, fortiſſimus Præfectus, palàm obteſtatur, Se urbem nemini, niſi à Rege, aut Regio Principe, miſſo, traditurum. Inde ſubitò *Scoti* obſidionem ſolvunt. Diſcedendi quidem occaſio à Regiorum à *Vigornia* motu arrepta. Reverà *Scotia*, à *Montiſroſano* prorſus devicta, eos vocabat. Huc miſſi ſex millia Equitum, *Leſleyo* Duce, ut alibi narratum.

Scoti Hereford-diam *fruſtrà obſident*, Aug. 15.

Rex, relictâ iterùm *Oxoniâ*, ut *Ceſtriæ* diuturnâ obſidione laboranti ſuccurreret, *Ludlowam* venit. Res autem Regiæ non minùs privatæ quàm publicæ, ſciſſis inter ſe Aulicorum præcipuorum ſtudiis, diſtraheban-

hebantur. Ipſi ter mille & quingenti Equites, nec ampliùs, aderant. Auditâ Regis profectione, jubentur à Parlamento *Pointſius* Inſtructor Generalis, & *Roſſiterus* Tribunus, ut quid Rex moliatur ſtudiosè inveſtigent: Si *Herefordiam* petat, ipſi, inito cum *Leveno* Conſilio, omnia mutuis arbitriis agant: Sin *Briſtoliam*, idem cum *Fairfaxio*. Illi junctis viribus quater mille Equitum, Regis, ut præceptum, veſtigiis inſtiterunt. Tantum adeò infœlici *Londino* capiendi Regis ſtudium, vel ſuæ potiùs ſervitutis cura fuit; ut Urbici Senatûs decreto conventum eſſet, *Ut unuſquiſque hujus ordinis* Patricius *militarem Equum, Regis inſequendi causâ, in promptu haberet*. At Rex propoſiti tenax *Ceſtriam* volat. Jam duo ab urbe milliaria planitie *Rowtonenſi Roſſiterus* veſtigia premit. Indè acris Regios inter & Parlamentarios concertatio. *Roſſiteri* acies turbata & tantùm non fracta. At cùm abſolutæ ſpes Victoriæ; mille à *Ceſtrenſi* obſidione milites, Ducibus *Joneſio* & *Louthamio* ſociis, in auxilium ruunt. Tantis Rex numeris impar, nè circumveniretur hoſtium catervis, enixo viam ſibi robore aperit; *Ceſtriámque*, datâ & acceptâ clade, ingreditur. Funeſtavit pugnam *Bernardi*, non minùs fide, & fortitudine,

Londinenſium *inſania.*

dine, quàm generis claritate illuſtris, præmatura mors. Hic tertius *Leynoxiæ* Ducis frater, crudeli hoc Bello abſumptus. Nec *Ceſtriæ* diu moratus Rex, ingruentibus poſt Victoriam hoſtibus; ſed in *Cambriam*, partibus fidam, ſe denuò recipit, malis ſemper invictus. Hic Principis *Mauritii* copiis auctus, ut & aliis aliundè reliquiis, alam Equitum non contemnendam inſtruxit. Partem tamen, mille & quingentos *Langdalio Digbeyóque* tradidit, *Montiſroſano* in *Scotiam* deducendos. Is enim ſtupenda, de quibus poſteà, geſſerat. Sed hi utriuſque Regni fines vix attigerunt. Captis utcunque ad *Sherburniam* & *Milfordiam* octingentis hoſtium Peditibus, fractâq; *Wrenis* Tribuni Equitum legione; à *Copleyo* poſteà & *Lilburnio* Tribunis, fatigatis recèns ſupervenientibus, debellati in fugam vertuntur. Ex Regiis cæſi *Carnabæus* & *Huttonius* Equites, & inter captos minorum Ducum plurimi: quatuor Militum Tribuni: quadringenti Equites. Rapitur inter alia *Digbeyi* currus, in quo nonnullæ Regis Literæ inventæ; quæ typis, eâdem quâ *Naezbienſes* olim impudentiâ, mandantur. Quippe par erat Bellum tumultibus, ſcandalis, & omnimodâ barbarie incœptum, iiſdem artibus, eâdémque imma-

Rex, relictâ Ceſtriâ, *in* Cambriam *ſe recipit.*

Infelix Digbeyi *Expeditio.*

immanitate finiri. *Digbeyus* iterùm non longè à *Carleolo* à *Scotis* fusus, per Insulam *Monæ* cum viginti tantùm in *Hiberniam* aufugit. Atque ità Equitum manus, *Langdalii* curæ commissa, funditùs deletur.

Cæterùm apud *Fairfaxium* in Occidente major Belli moles. Quæ enim aliis in Provinciis gesta, velitationes potiùs quàm prælia existimem. Devictâ *Bristoliâ*, quid agendum Rebelles animis versant. Erant, qui *Plymouthæ* longissimam obsidionem solvendam censerent. At cum ipsi mare liberum, valeréntque Parlamentarii navibus, placuit Regios ex munimentis, quibus *Londinum* inter & Occiduas Provincias Commercium obstruebatur, deturbare; facilémque ad libitum commeantibus transitum aperire. *Barcleyanam* Arcem, utpote proximam, primò aggrediendam rati. *Bristoliam* inter & *Gloverniam* sita, iis non tantùm nocebat; sed & adjacentes undequaque agros validis fatigabat excursionibus. Præmiserat anteà Equites *Fairfaxius*, qui eorum impetus cohiberent. Nunc tres Peditum legiones, *Rainsborough* Tribuno Duce, arci obsidendæ mandantur. Hic, externis expugnatis Munitionibus, captóque quod

Barcleyana *Arx deditur* Sept. 26.

quod Arci imminebat Templo, eam recepit; *Carolo Lucaſio* Præfecto forti viro, ſed obſidentibus impari, Conditionibúſque pro rerum anguſtia non contemnendis. Dum hæc geruntur, *Cromwellus* oppidum *Devizes*, nullo ferè damno, ſui juris fecit. Hujus & fatum ſequuta *Laicock*, conceſsâ Præſidiariis abeundi cùm armis licentiâ. Hinc, ſibi creditis tribus Equitum, & quatuor Peditum Legionibus; ad reducendum Parlamenti obſequio *Ventam Belgarum* & *Baſinghiam Marchionis Wintonienſis* ſedem, mittitur. *Fairfaxius* interim reliquo cum exercitu, cui ſtipendiorum & veſtium ampla largitio, lentè Occaſum verſus progreditur. Luſtratis in itinere copiis, ad *Chardam* ventum. Hîc à *Fairfaxio* intellectum à Regiis irruptionem parari, quo Regi vires jungerent. Id nec à Veritate, nec à Ratione abhorrebat. Hoc enim facto hoſtes adigerentur, vel exercitum dividere, vel Occidentales Provincias, *Devoniam* ſcilicet & *Cornubiam*, intactas relinquere. Sub dio igitur eductis copiis, noctem agunt; Regiique propiùs adventantes trans *Iſcam* amnem pelluntur. *Goringiani* nocturno prope *Chardam* conflictu ſatis feliciter pugnârant, turbatis hoſtium Stationibus, cæſis

Ut & Deviſes & Laicock.

Fairfaxius Tivertoniam *capit.*

cæsis nonnullis, captis supra sexaginta. *Fairfaxius* abeuntibus insistens *Tivertoniam* occupat, Castrum Templúmque Munitionibus inclusa impetu capit; ruptâ fortuitò catenâ, quâ Pons versatilis sustinebatur. Sic casu, apertâ Oppugnantibus viâ, repentè intercipitur. *Gilbertus Talbot* Eques, Præsidium omne, & impedimenta hostibus cessêre. Ingruente jam Hyeme, fatigato tot laboribus exercitu, Regios ultrà premere haud tutum putant. Omittitur itaque *Exonia*, ubi quinque millia ad Præsidium. Urbs tamen occlusa, positísque juxta *Clyssen* amnem, certo intervallo, Castellis, commercium omne urbanis, ut & postea reliquis citra *Iscam* Fluvium copiis, cum externis interdictum.

Exoniæ *immunet.*

Cromwellus, *occupatâ* Ventâ *urbe, Arcem deditione recepit.*

Inter hæc *Cromwellus*, occupatâ *Ventâ* Urbe, Arci imminet. Hiatu sex tormentis facto, *Ogleyus* Regulus, inutilem fore defensionem arbitratus, Arcem omnimodo commeatu refertam, pactâ Præsidiariorum salute, obsidentibus dedidit. At *Marchio Wintonienſis* in ædibus *Bazinghianis*, toties à Parlamento frustrà impetitis, nobiliori utcunque infœlici fato succubuit. *Cromwellus* erectis tormentorum suggestibus aggressionem adornat. Quatuor simul Cohortibus, milite victoriæ assueto, fossam

Basinghianas *ædes impetu capit*, Oct. 14.

fossam & vallum superat; effractisque demum portis, Arce potitur. Nobilissimus Marchio, *Robertus Peak* Eques, aliique, sicut & immensa Spolia, victoriæ præmium. Centum ferè, quos inter puella, interficiuntur. Ædes etiam sumptuosissimæ, priùs expilatæ, admotis facibus comburuntur, nullo victorum emolumento. Proximus *Cromwelli* labor receptio *Langfordiæ*. *Ventæ* verò & *Bazinghii* fatum loci deditionem acceleravit. Eversis hoc modo munimentis, apertâque *Londinum* inter & longinquiores Occasûs partes viâ, *Fairfaxio* rursùs copias adjungit.

Carolus *Princeps de pace cum* Fairfaxio *agit.*

Dum hæc fiunt, Serenissimus *Cambriæ* Princeps, salvi conductûs Literas à *Fairfaxio* petit, quibus *Hoptonio*, & *Culpepero* Regulis Regem adire liceat; Consilio pacem, inter Regem, & Parlamentum, sanciendi. Re perpensâ, Literas à *Fairfaxio* nuncius proximo die retulit, suæ non esse Provinciæ pacis proposita vel accipere, vel offerre; ideoque *Celsitudinis* suæ Literas Parlamento missas, à quo responsum expectandum. Tale quid *Goringius* molitur, missis *Scroopio* & *Philipsio* Tribunis. Id animo infixerant, posse Regem & Parlamentum, unitis duorum exercituum conatibus, ad pacem amplectendam

ctendam cogi. Idem anteà *Eſſexio* oblatum, nunc à *Fairfaxio* rejicitur. Nullâ ſpe pacis, Princeps de *Exonia* ſollicitus, contractis copiis, caſtra ad *Okehamptoniam* ponit. Numerabat ſeptem millia Militum. Inaudiverat hoſtilem exercitum morte & morbis diminutum. Indè occaſionem rei benè gerendæ arripuit, cui & invigilabat. At brevi hoſtem novo delectu auctum certior factus, caſtra & ſententiam mutat. Hoſtis interim progreſſus tres *Wentworthii* Legiones ad *Boveyam* intercipit. Milites noctis denſitate ferè omnes ſe ſubducunt, uno tantùm Legionis Inſtructore, quinquaginta Equitibus, & quadringenis Equis exceptis. Curæ *Fairfaxio* tum fuit, Regiorum receſſu *Plimoutham* liberare. *Dartmoutha* proxima victoriarum trophæa, quam Parlamentarii centum utcunque tormentis firmatam, aggreſſione factâ, vix uno è ſuis amiſſo, occupant. Nec plures è Præſidiariis cæſi, captis *Hugone Pollardo* Equite, loci Præfecto, Comite *Newportano*, *Seymero* & *Denhamo*, octingenis gregariis. *Careo* Equiti, ut & ſuis Ductoribus, deditâ in qua erat Arce, abeundi copia. Captivis etiam domum repetendi facultas; duobus viritim ſolidis inter *Cornubianos*, qui plures erant, diſtributis. Nec imprudens Conſilium, quo

Dartmoutha *expugnatur.*

quo cæteri Populares, qui ſoli nutantem Regis fortunam ſuſtinebant, allicerentur. Indè ad *Totneſiam* itum. Tunc de *Exoniæ* obſidio cogitatur. Tanto muneri *Hardreſſus Wallerus* præficitur. Jamque Civitatem laxiùs munimentis & caſtellis occluſam, arctiùs obſidere decretum. At cum ſcalæ è pagis adferrentur, audiêre obſeſſi à Principe Auxilium parari. Relictis igitur *Wallero* tribus Peditum & una Equitum Legionibus, cum toto exercitu Principi obviàm eunt. *Hoptonius Goringio* ſucceſſerat. Hic tradito *Wentworthio* Equitatu in *Galliam* ſe ſubduxerat. Equitum ter millibus, Peditum quatuor millibus præpoſitus *Hoptonius*, *Toringtoniæ* caſtra ponit; oppidum defenſurus, atque ibi de rerum ſumma concertaturus. Huc *Fairfaxius* feſtinat, nè Regiis virium augendarum tempus daret. *Hoptonius* aditus & vicinas foſſas, ſepéſque Pedite inſederat. At reducto rursùs milite, ſuperveniente hoſte rursùs recedit. Hic ceſſa loca occupat, ibidemque ob ingruentem noctem moratur. Audito tandem in oppido tumultu, *Fairfaxius* Regios diſceſſum meditari arbitratus, Speculatores mittit, qui cùm propiùs acceſſerint magno glandium imbre excepti. Hi ab aliis firmati; aliíſque

Hoptonius Toringtoniæ caſtra ponit.

ſuper alios utrinque venientibus, integris tandem copiis decertatum. Ad oppidi introitum obicibus obfirmatum, contrariis haſtis, obverſíſque armorum manubriis acerrimè pugnatum; donec victo tandem aditu, in Plateis etiam contendebatur. Regii hoſtes bis repulerant; at toties & ipſi repulſi, loco tandem cedere coguntur. *Hoptonius* ipſe, equo inſignis, ſuorum terga claudebat; at non potuit Peditum exitium impedire. Ex iis vix ſexcenti tuti. Equites ferè omnes viarum notitiâ, & umbrarum beneficio avolârant; quadringeni, tàm ex Gregariis, quàm ex meliori luto Generoſis, capti. Horum ducenti in templum protruſi, in quo octoginta pulveris pyrii dolia *Hoptonius* reliquerat, miſerè abſumuntur. Admovit ignem *Watſius* quidam, triginta, utì ferunt, aureorum pretio corruptus. Ut ut ſit; non pauci ex hoſtibus eodem fato extincti. Oppido miſerè quatefacto, terror ubique, ut & clades, horribili fragore, & vibrati templi fragminibus, ſpargebatur. Regios hoſtes inſequuti citra *Tamaren* amnem protrudunt, occupatâ *Launceſtonâ*, pulſo *Baſſeto* Tribuno.

Exinde debarbatur.

Princeps

Princeps ſuorum ubique calamitate monitus nullam belli renovandi ſpem, conſcensâ ad *Truro* nave, vela ad *Caſſiterides*, vulgò *Scylleas* Inſulas, facit, in *Galliam* navigaturus. Audito Principis diſceſſu, *Fairfaxius Hoptonium* ad dimittendas copias, utpote derelictum, honorificis conditionibus hortatur. Hæſitat aliquandiu *Hoptonius*, rei magnitudine perculſus. Angit illum Regem tot fortibus viris, tanto Equitatu exui. At illos ſervare inexpugnabilis difficultatis erat. Nulla ab extrà Auxilia: Clauſus & ipſe ſex milliarium ſpatio *Cornubiæ* anguſtiis, imminente victore exercitu. At ſi erumpendi copia, quorſum iret; ſucciſis in viis arboribus; occupatis campeſtribus ubique aditibus; profligatis, nè ſpei ſolatio relicto, rebus Regiis? Arma igitur jam prorsùs inutilia deponit. Miſſi hinc inde Oratores, ad *Treſſilianum* pontem conveniunt. Hìc compoſitis Pacis capitibus, de exercitu dimittendo concluditur. Arma, Equi, Servitia, Ducibus unicuique pro dignitate conceſſa; impedimenta omnibus. Gregario militi arma, equi, ephippia negantur; datis viginti unicuique pro viatico ſolidis. Securitas omnibus ſtipulatur. Copia inſuper domum remeandi, vel ad exteras

Carolus *Princeps in* Galliam *navigat.*

Hoptonius *exercitum dimittit*, Martii 14, 1645.

teras pro libitu terras transfretandi. Dimisso exercitu, cecidit etiam munimentis auxiliorum fiducia. Ipsa *Exonia*, præcipua Occidentis civitas, honorificis Conditionibus dedita. Exemplum *Barnastapula*, cæteráque alibi munimenta sequuntur. Ità *Fairfaxius*, pacatis Occidentalibus Provinciis, *Oxoniam* contendit. Nolui *Fairfaxianæ* filum expeditionis abrumpere; sed singula, præsertim majora, suo quævis ordine & classe in medium proferre; rerum, nè ea distraherem, magìs quàm temporum rationem habiturus.

Fairfaxius *bellum ad* Oxoniam *transfert.*

Deletis, ut diximus, *Digbeyo* & *Langdalio*, *Newarkæ* Rex aliquandiu moratur. Lassatus tandem suorum discordiâ abit. *Gerardus* & *Willisius*, plurimíque alii secessionem fecerant. Imò *Rupertus* & *Mauritius* Principes, initis cum *Pointzio* de discedendi libertate colloquiis, ac si partium infortunia levia essent, idem minabantur. De *Digbeyo* disputatio erat; qui ab his perfidiæ criminis, vehementiùs quàm pro rerum studio & statu, accusatus, vindicem innocentiæ Regem, & *Bellisium* loci Præfectum habuit. Itaque Rex, sexcenis Equitibus comitatus, *Oxoniam* pervenit; ubi etiam à plurimis, ut in calamitatibus fieri solet, nimiùm neglectus.

At

At quamvis cuncta perageret, quæ à forti juxtà ac prudentiſſimo Principe expectanda; Conſiliariorum tamen, & Procerum Præfectorum diſſidiis, nihil conſtanter & animosè effectum. Neque verò diuturna *Oxoniæ* manendi facultas. Deletis enim ad *Stowam Aſhleyi* copiis, quas hinc inde evacuatis præſidiis ad bis mille circiter collegerat, profligatíſque ubique Campeſtribus viribus, Regii in ſua munimenta pulſi, ſuppetiarúmque ſpe deſtituti, iis exuuntur.

Præmiſerat *Iretonio* duce Equitum alam *Fairfaxius*, ad cohibendas *Oxonienſium* pabulationes excurſionéſque; mox ipſe ſubſecuturus. Proximis igitur hoſtibus ad receſſum Rex impellitur. Nihil non intentatum reliquerat, quo paci via aperiretur. Nuntios tantùm non vicies ad *Weſtmonaſterienſes* iteraverat. Imò obtulerat quicquid vel ſacinoroſis deſiderio eſſe poteſt: Veniam ſcilicet præteritorum; Liberam raptorum fruitionem; Acceſſionem ad dignitates. Ac nè locus ſuſpicionibus remaneret, pollicebatur, Se è veſtigio copias omnes dimiſſurum: Nec ſuo tantùm ſe Parlamento redditurum; ſed pro rato habiturum, quodcunque afflictis pacem Regnis reſtaurare poſſe arbi- *Regis anguſtiæ.*

 trarentur.

trarentur. Unum ſolùm poſtulabat, ut amicis domi vivere liceret. At vel ab ipſo pacis nomine abhorrent modeſti homines. Quanquam ab iis olim jurejurando promiſſum, Se ad priſtinum redituros obſequium, cùm Rex, è pravorum Conſiliariorum manibus ereptus, ad Parlamentum redierit. Imò depoſitâ larvâ, Edicto cautum, nè veniret. Juſſi Præfecti omnes, quòd ſi vel urbi accederet, eum omnéſque ejus ſequaces ſtrictæ cuſtodiæ committerent.

Ad Scoticum exercitum ſe recipit, Maii 5, 1646.

Tantis Rex preſſus anguſtiis, excogitatum jampridem receſſum denuò meditatur. Rejectus à Comitiis, exercitum *Anglicanum* adire ſtatuit. At ab iis etiam neglectus, ementitis veſtibus, *Aſhburnamio* Aulico, et *Hudſonio* Theologo comitibus, relictâ *Oxoniâ*, ad Scoticum exercitum ſe recipit. *Newarkæ* obſidioni *Scoti* operam dabant. Salutem & æquas Conditiones priùs ſtipulante Legato Gallico, qui tunc temporis in *Scotorum* caſtris commorabatur (cujus fidei certum ſe Rex *Marchioni Ormondo Hiberniæ* Proregi ſcribebat) *Scoticæ* fidei, quam Græcam expertus, ſe commiſit. Alii illum ad fidos ſibi *Wallos*, alii ad *Montiſroſanum* confugiſſe autumabant. Nec defuêre, qui

qui Regem in urbe deliteſcere exiſtimarent. Tandem, ſtupentibus omnibus, illum ad Scotica caſtra perveniſſe auditum. Hoc, Scotici Imperatoris literis ad Ordines ſcriptis, brevì innotuit. Parlamentum interim, cognito Regis diſceſſu, promulgato confeſtim Decreto, nè quis latentem celaret, protegerétve, capitali pœnâ edicit. Verùm cùm illum apud *Scotos* verſari intellectum, Scoticos apud *Londinum* Legatos, et *Scotorum* in caſtris ducem rogat, ut Regem in arce *Windſorienſi* ſervandum, donec de eo decernant Ordines, ſibi concredere velint. Porrò ſtatutum, *quòd Rex* [horreant Poſteri!] *quandoquidem ſe ad* Scotos *contulerat, bellum continuare, et diſcordiam inter utramque Gentem fovere, in animo habuerit.*

At *Scoti* quanta in manus præda ceciderat haud ignari, fratribus nondum parent. Sed conclamatis ſubitò vaſis, *Novum-Caſtrum*, ad utriuſque Regni fines, ſuæ *Scotiæ* vicinum, Scoticíſque firmatum præſidiis, citato itinere contendunt.

Occluſi, ut diximus, in munimentis, Regii, emoriente omni ſuppetiarum ſpe, languent. Alios adverſa ad deditionem fortuna impellit. Fortem alii defenſionem aggreſſi, aut vi capiuntur, ut Tri-

bunus *Stanhopius* ad *Shelfordiam*; aut inediâ conſumuntur, ut arx *Lathomenſis* à Nobiliſſimâ Heroïnâ *Derbyæ* Comitiſſâ biennio defenſa. At funeſtior *Herefordiæ* urbis caſus, quæ Scotico exercitu, quem à muris abegerat, ſuperior, hoſtium inſidiis impar expugnatur: à bis mille Militibus *Morgano* & *Birchio* duce, facinus perpetratum. Densâ nocte, citato gradu, urbem prope conveniunt. Sex viri ſortes, ſeptimum, operariorum veſtibus & ſpecie, ſequuntur. Hic Præfecti vici officium præ ſe ferens, portam aggreſſus vigiles monet, ſe ad frangendam in foſſa glaciem Gubernatoris juſſu cum ſuis adeſſe; expectare tantùm ut porta, dimiſſo verſatili ponte, recluderetur. Admiſſi cum ruſticis in ſpeciem inſtrumentis, extractis, qui ſub veſtibus latebant, gladiis, cuſtodes opprimunt; viam centum & quinquaginta Peditibus, qui in procinctu latebant, aperiunt: Reliqui in ſucceſſum intenti, portam & urbem, haud incruentâ quidem victoriâ, occupant.

Herefordia *ſtratagemate intercipitur*, Dec. 17.

Herefordiæ calamitatem, *Ceſtriæ*, non minoris momenti, Deditio excepit. Parlamentarii ſuburbia quæ Orientem ſpectant, ſuperiore anno devicerant, *Joneſio* &

& *Lowthamio* Ductoribus. His *Brereto-nius* advenit, factámque tormentorum impetu in mœnibus ruinam audacter tranſilit. Sed magnâ clade pulſus, occiſo *Venablio* Tribuno, receptum canit. Inde tanti præſidiariis & civibus animi, ut defenſionem non deſperarent; auſi multoties fortiter erumpere. Interim Rex opem afferre, ſed infœliciter, molitur. Fractus ad *Rowtonenſem* planitiem, nè & urbe includeretur, in *Cambriam* fugit. Nec ſic concidit *Byroni* Nobili Præfecto fiducia, validiùs utcunque impetito; *Pointzius* enim nuperâ victoriâ ferox, urbem, quam minis non valuit, vi ſe coacturum non dubitat. Quatefactis igitur ſimul tribus in locis mœnibus, ruinas jam acceſſibiles, fœminarum utcunque laudabili zelo reparatas, aggreſſus, magnâ ſuorum ſtrage repellitur. *Guillielmus*, *Byronis* Præfecti frater, quadringenos Equites, ſubſidia obſeſſis ducturus, ab obſidentibus prope *Holtam* repreſſus, captúſque. Nec fœlicior *Guillielmus Vaughanus* Eques, etiamſi majores copias, bis mille nimirum Equites plerumque ſecum habuerit. A *Mittonio* Tribuno, adjunctis hoſtium viribus, poſt varios & fortes conflictus, *Denbigham* retrocedere coactus eſt. Reverſi victores,

Ceſtria, *poſt longam obſidionem,*

victores, urbi arctiùs inſtant. Jamque *Wallicarum* partium, quod hucuſque liberum, commercium interdicitur, caſtrorum interpoſitione. Conſumptis igitur eduliis, & longæ obſidionis malo civium patientiâ, tumultuari cœptum; at leviùs; non enim ultra querelarum modeſtiam progreſſum. Præſidium *Wallicis*, tùm militibus, tùm ducibus conſtabat. Nec defuit civibus Virtus, aut Conſtantia, quamdiu eos res cibaria non defecit. Carnes caballinæ, aliáque naturæ parùm conſona, inter delicias habita. Nec diutiùs procraſtinari potuerunt. Præfectum itaque adeunt: Rogant ut, cùm nulla libertatis potiundæ ſpes ſit, de dedenda urbe cogitaret. Idem *Breretonius* hoſtis, miſſo Tubicine, expoſcit. Cupiebat urbem, cui imperaturus erat, illæſam ſervari. Orat nè conditionibus non contemnendis, dum licet, adverſetur. Oſtendit Regias ubique copias vel fuſas, vel munimentis occluſas. Civium preces hoſtíſque urbanitatem, non prorsùs aſpernatur *Byronius*. At cùm audiviſſet *Vaughanum* iterùm, & *Aſhleyum*, accitis *Wallis Hibernísque*, auxilium meditari; miſſo in *Walliam* relationis auctore, qui vera indagaret, reditum ejus expectat. Is viginti

&

& quinque Equitibus ſtipatus, per hoſtium ſtationes erumpit. Luminum ſignis ex altiori arcis *Flintenſis* turre erectis, utì conventum, nihil ineſſe veri demonſtrat. At cùm reciprocantis æſtu maris reverteretur nuntius, glacie involutus, *Flyntam* cymbâ quâ vehebatur multo labore rediit. Hoc novis ex arce ignibus ab obſeſſis intellecto, urbs traditur. Præſidio in *Walliam* à Nobiliſſimo Præfecto ducto, unuſquiſque propriis Penatibus redditus. Hic verò in *Arvonia* ſecundò obſeſſus, pactis iterùm honorificis conditionibus, infœlici bello tandem ſe ſubduxit.

Dedere ſe cogitur, Feb. 3. 1646.

Inter hæc *Fairfaxius* in conſpectum *Oxoniæ*, Aulæ & armorum ſedis, pervenerat. Perſpecto loci ſitu, caſtra metatur. Primam majorémque ſtationem colle, cui nomen *Hadington*, figit; eámque apprimè munitam, militum ter mille capacem facit. Circumductâ dein lineâ, extructíſque tribus aliis Caſtellis, quibus *Rainſborough*, *Lambertus*, & *Herbertus*, Tribuni præpoſiti, urbs obſidione cingitur. Diù in Senatu bellico ventilatum, utrùm impetu Urbem aggrederentur, an longis laboribus fatigarent? In eam tandem ſententiam convenerunt, Urbem, quandoquidem

Oxonium *obſeſſum.*

quidem munitiſſima, non impetu ſed fame, ſuiſque intus diſſidiis domandam. Non eos latebat, Propugnacula, moderno more erecta, ſibi invicem auxiliari: tres Urbis partes, *Iſidis* & *Charwelis* amnium inundationibus, impervias: nec quartam, niſi quâ ſeptentrionem ſpectat, acceſſu facilem: eámque duplici lineâ, Collegiiſque, arcium more, defendi. Ad hæc præſidium veteranis & militum flore ad quinquies mille exiſtimabatur, omni commeatu, cùm bellico tùm cibario inſtructum, idque in plures menſes. Hiſce omnibus præerat *Thomas Glenhamus* Eques, *Eboracenſi* & *Carleolenſi* obſidionibus inſignis. *Eboraci* honorificas, à tribus ſimul exercitibus, conditiones extorſerat. Nec *Carleolum* decem plùs menſibus contra unitas *Scotorum* vires defenſum, non niſi conſumptis Equis & Canibus, pactâ etiam ſuorum ſalute, reliquit. Hiſce perpenſis, placuit Præfectum, oblatis ampliſſimis conditionibus, ad Deditionem allicere. Hæſitabundus ille moram poſtulat, quâ Regis mentem indagare, juſſáque accipere poſſit. Hoc negato, Oratores hinc inde conveniunt. At inaudita adeò Regii ſibi poſcunt, ut ea *Fairfaxius* Parlamento miſerit. At iis rejectis,

rejectis, jubetur Urbem, quâ poteſt arte & viribus, in ſuam poteſtatem redigere. At intermiſſum aliquandiu colloquium reſumitur, nullâ ab armis ceſſatione. Poſt varias congredientium altercationes, in deditionis capita conſenſum. Fuere illa viginti & ſex. *Faringtonium* iiſdem legibus traditur; *Liſleyo* Equite, munimenti Præfecto, *Oxonienſi* pace incluſo. Articulorum ſumma hæc: "*Oxoniam* labentis menſis, *Januarii* ſc. XXIV. ut & arcem, munitiones, tormenta, arma, commeatum, omnémque bellicum apparatum, *Fairfaxio* committenda. *Eboracenſi* Duci pro dignitate habendo licentiam datum iri, *Londini*, donec Rex de eo ſtatuerit, cum Regiis liberis commorandi. *Rupertum* & *Mauritium*, Principes, cum famulitio & comitatu ſeptuaginta non excedentibus, intra ſex menſes è Regno diſceſſuros. Sigilla Regia, Regiúmque enſem arcâ incluſa & obſerata, in Bibliotheca *Oxonienſi* ſervatum iri: *Glenhamum* ipſum, Tribunos, Minoréſque Duces, & Milites omnes, equis, armis, ſignis, vexillíſque undantibus, onuſtis tubis, incenſis funalibus, &c. militariter ad decimum quintum uſque ab urbe lapidem profecturos: *Deditur*, Jun. 24, 1646.

" turos: Hìc gregariis depoſitis armis " licitum fore, vel domum ſe recipere, " vel in exteras tranſire regiones. Dy- " naſtas, Nobiles, Generoſos, cæteróſque " unius cujuſcunque ordinis, ultra duo- " rum annorum proventum fiſco, in cæ- " teris immunes, non ſoluturos. Cancel- " larios, Curatores, Profeſſores Acade- " miæ, & Scholaſticos omnes, veteribus " ſuis inſtitutis, poſſeſſionibus, moribus, " privilegiis, regimine fruituros. Cives " ſui juris remanſuros, nec præſidio, nec " militum hoſpitiis, niſi ſummis angu- " ſtiis, premendos. Domeſticos Regis " cum Regiâ ſupellectili, *Hamptonii*, " donec Rex de iis ſtatuerit, permanſu- " ros. Additur unicuique, præteritorum " immunitas; cautúmque, nè quid in " bello, aut obſidionis tempore geſtum, " cuiquam fraudi foret." Sic Regi ſedes fidiſſima, Regni fato ſuccubuit. Eadem aliis præſidiis fortuna.

Cætera Regis munimenta ſe dedunt.

Raynsborovius Woodſtokiam, multâ ſuorum cæde, domuit. A *Guillielmo Comptonio* Equite deditum Caſtrum *Bamburienſe*, fortiſſimè dum licebat defenſum, multíſque Rebellium cladibus inſignitum. *Palmerus Radcotum*, Ædes *Barſtolienſes Comptonius* alter ceſsêre. *Newarka* diù à *Bellaſiſio*

laſſio Regulo, contra unitas *Anglorum*, *Scotorúmque* vires, propugnata, Regis tamen juſſu, in Scotico exercitu verſantis, *Pointzio* tradita. *Caleva* victoribus ſe ſubmiſit, æquioribus Conditionibus. *Raglandia* denique, toto bello à Nobiliſſimo Marchione defenſa, ut & *Cornubiæ* extremis ſitum *Pendennium*, ab *Arundelio* Tribuno ſervatum, generalibus ruinis involvuntur. Marchio ipſe præ ſenectute lecto affixus, vegetum ducebat animum. Nullo alio relicto munimento quo ſe reciperet, ſoli *Fairfaxio* cedere voluit: at ſtipulatâ priùs militum incolumitate, vel propriæ libertatis jacturâ. *Conovium* vi à *Mittonio*, et *Williamſio*, *Eboracenſi* Archiepiſcopo, Eccleſiæ opprobrio, expugnatum. *Ludlowia*, *Licheſieldia*, Inſulæ *Caſſiterides*, ſeu *Sylleæ*, deditæ ſub conditionibus. Inſulas *Hollandis* emere in animo erat. Maluit tamen *Greenvil* Eques, Rebellibus tradi. Quippe haud ignarus, ad Regis tandem aliquando obſequium redituras. Nec ità multò pòſt Caſtrum *Holtenſe*, *Harlaghenſe*, et *Denbigenſe* poſt longam obſidionem, ubi & plures nobiliores viri, ductoréſque, quos inter, *horum Commentariorum auctor*, Coronidis loco, in manum venêre.

Devictis

Masſeii *Miles exauctoratur.*

Devictis Regiis, placuit Parlamento, prævalente in Comitiis Independentium grege, *Fairfaxium* ad exauctorandum *Maſſeii* militem mittere. Bis mille & quingeni erant, Equites omnes; quibus diminutum ſtipendium, ærarii publici ſublevandi plauſibili argumento. Hinc *Fairfaxius Londinum* proficiſcitur; ubi ab urbanâ militiâ militariter, ab utriuſque domûs oratoribus gratulatoriè, à *Londinenſi* Senatu multis aſſentationibus exceptus.

Rex *Neocaſtri* non minùs à *Scotis* ad quos fugerat, quàm à Parlamento oppreſſus, invictæ ſpecimen Conſtantiæ præbet. Nec ulla poteſt eum neceſſitas cogere, vel ut id agat quod Honori Regio non conſentaneum, vel ut à ſententiâ ullatenùs deflectat. *Non quòd* (ut ejus verbis utar) *adduci poſſit, ut illud perfractè neget quod concedendum; ſed nè quid ejuſmodi concedat, quod Rationi & Religioni contrarium.* Quamprimùm Rex *Neocaſtrum* pervenit, *Levenus, Scotorum* Dux, Edicto prohibuit, nè quis *Papiſta* vel *Delinquens* Regem conveniendi licentiam haberet. Cautum inſuper, nè ducum militúmque aliquis, cum *Malignantibus* vel Humanitatis commercium contraheret. Cæterùm frendebant

debant Ordines, *Independentes* præcipuè, Regem à *Scotis* (utpote mercenariis, et conductitiis, quippe ſuis ſtipendiis militantibus) detentum. Hinc minantur, et latâ lege pronunciant, ſe eorum auxilio non ampliùs egere. Imò eorum rapinas, enormitates, ſcelera, omnibus innoteſcere publico *Manifeſto* curant. Contrà, *Scoti* jure naturali, Hoſpitii legibus, ſibi non licere affirmant, Regem qui ſe illis crediderat, cuiquam, ſe non volente, tradere. At nè *Anglis* prorsùs diſplicerent, Regem adigunt, ut mandata præfectis ducibúſque daret, munimentorum omnium Parlamento ſubjiciendorum: *Ormondum* juberet, nullam cum *Hibernis* pacem inire; *Montiſroſanum* copias, quibus in *Scotia* præerat, dimittere. His à Rege extortis, propoſita prioribus duriora offerunt. *Ut ſolemne fœdus ratum haberet: Epiſcopatum aboleret: jus armorum hoſtibus cederet: nominatos à ſe Dynaſtas, alióſque inſignes viros à præteritorum venià excluderet.* Efflagitant mercenarii homines ea quæ ipſimet, pretio nondum corrupti, argumentis damnaverant. Minantur utriuſque Regni Populos tàm ſuo quàm Regiæ Familiæ detrimento, nullâ ſui, ſi diſſentiat, habitâ ratione, pacem *Rex* Neocaſtri.

quæſituros. Nec ſic territus Magnanimus Princeps, ſatiùs duxit Coronam quàm honorem, Sceptrum quàm conſcientiæ Religionem in diſcrimen mittere. Maluit ſe hoſtium violentiâ, quàm proprio aſſenſu, et ignavâ iniquis poſtulatis ſubſcriptione, dignitatibus & inclyto Regis faſtigio exui.

Cautum decreto nè Rex in Scotiam *veniret.*

Cautum decreto in *Scotia*, nè Rex huc veniret. Ei tamen ab Ordinibus mittuntur *Hamiltonius* Dux, *Craffordius* & *Caſtilius* Comites; ſuadent, hortantur, monent, tùm ut deteſtando *Fœderi* aſſenſum præbeat, tùm *Anglorum* propoſita ſuo calculo adprobet. Sequebantur etiam è Pſeudo-Synodo, Pſeudo-Presbyteri, qui in contumacem Regis furorem, iram Dei, Hominúmque odium Regi portenderent. Imò ex iis non deerant, qui Regiæ mentis ſcrupulos adimere, dubiáque reſolvere auderent. Horum unus in Regem è ſuggeſtu invectus, finitâ Concione Pſalmum quinquageſimum ſecundum concini jubet: *Quid gloriaris in malitiâ, qui potens es in iniquitate?* At Rex, perſpecto hominis conſilio, in pedes inopinatò erectus, Pſalmum quinquageſimum ſextum incipit. Sequuti unanimiter, neglecto præcone, Auditores.

Nec

Nec diſpar *Davidis*, vel *Caroli* fortuna, dum ille *Gathi* à *Peliſchtheis*, hic *Neocaſtri* à *Scotis* detentus excruciatúſque.

At maxima jam inter perduelles controverſia, penes quem de Regis perſonâ arbitrium foret. *Scoti* tandem non minùs *Cromwellianorum* contumeliis, & dicteriis moti, quàm oblatis à Parlamento pecuniis emolliti, præmiſſis pro formâ diſceptationibus, quibus mercedem & perjurii præmium adaugerent, cauſantur Sacrilegum ſuum *Fœdus* à Rege rejectum; ideóque Parlamento committendum. Sic à ſuis Popularibus ad quos confugerat proditur, nullâ Religionis, & Honoris ratione; nullo deteſtabilis perjurii timore; divenditur ſacrum caput 200000 millium Librarum Sterlingarum pretio. Acceptis pecuniis, iniquitatis mercede, Parlamenti legatis commiſſo Rege, in ſuam remeant *Scotiam*, ſecundis poſteà rebus, utì accidit, non fruituri.

A Scotis *divenditur, traditúrque*, Jan. 28. $164\frac{6}{7}$.

Rex interim inter ſævas hoſtium manus, mutatis Cuſtodibus ad *Holmbeyum* palatium ducitur; *Naezbiæ*, ubi tam infœliciter pugnârat, proximum. Ibi nec liberâ ſolitudine licuit frui ſacro Principi. Non tantùm amicis omnibus, ſed & Sacellanis, inauditâ inhumanitate, interdi-

Ad Holmbeyam *ducitur.*

citur. Myſtæ verò cæteris ſuis Levitis ſimiles, inſulſi & Rebelles ipſi ſiſtuntur, nec urbanitate ad vitam civilem inſtructi, nec ſacrorum peritiâ ad diſputandum parati. Cum Principe præſertim Theologo, non minùs infulæ ſacerdotali quàm Regio muneri idoneo; in utroque ſupra imitationem poſito. Quantum in divinis præcelluerit, conſtat ex colloquiis quæ cum Marchione *Vigornienſi* Pontificio, & Parlamentariis Miniſtris frequenter habuit. Extant ejus ad *Henderſonium* Presbyterianum Scripta, quibus hic victus ἐξομολόγησιν amplexus occubuit; præ nimio, ut fertur, dolore, quòd in tam bonum, támque pium Principem peccaverit; in cæteris Eccleſiæ *Anglicanæ* conciliatus, et devotiſſimus filius.

Rerum à Montiſroiano geſtarum hiſtoriola.

At dum Rex triſti carceris ſquallore *Holmbeyæ* affligitur, non abs re fuerit, Regiorum facinora in *Scotiâ* compendiosè ſub oculos ponere. Fœderatorum olim partes amplexus *Montiſroſanus*, ſtatim atque Regi & Monarchiæ exitium impendere intellexit, Rebelles deſerit. Literis ad Regem datis, obſequium teſtatur. At cùm Regias ſibi literas interceptas ſenſerit, Ipſe Regem *Oxoniæ* adit. Hic fœderatorum conſilia aperit; at contrarium ſuadente

ſuadente *Hamiltonio*, vix auditus. Irruptione tandem à *Scotis* in *Angliam* factâ, *Hamiltonius Pendennenſi* arce fidâ cuſtodiâ clauditur; *Montiſroſanus* bellicis in *Scotia* rebus præficitur. At cùm eum omnia deficerent; ſolus ipſe *Scotiam* ingreſſus, quàm celerrimè ad *Tai* ripas pervenit. Ibi à *Patricio Grahamo* conſanguineo, probatæ fidei viro, abſconditus. Audiit Perduellium tyrannide Regios omnes oppreſſos. Exercitum equidem non contemnendum collegerat *Huntlæus Marchio*; at præ timore diſperſus, nec hoſtem expectavit. Sic ibi ſine duce exercitus; hìc verò dux abſque exercitu. At brevì in unum convenerunt. Invaſerat paſtorum animos, quibus gregum in montanis cura, magnus timor, *Hibernos* quoſdam in ſeptentrionali *Scotiæ* plagâ huc illuc errare. Auxiliarios eos eſſe, ab *Antromio* Comite, quatuor ante menſes promiſſos, arbitratus *Montiſroſanus*; in eam firmatur Sententiam *Alexandri Macdonaldi* qui *Hibernis* præerat, literis, amicorúmque in montibus monitis. Protinus auxilium ducémque pollicitus, jubet ut quamprimum in *Atholiam* deſcendant. Hoc cùm ab iis citiſſimè peractum, ipſe pedes, montano habitu, *Patricio* cognato viæ duce

& comite, illis improviſus adeſt. Et quidem peropportunè. *Argathelius* Marchio numeroſo exercitu jam terga premebat; adeò victoriæ certus, ut ipſas, quibus advecti, naves combuſſerit, nè quis effugio locus. Nec centum ſupra mille Regii numerabantur. Poſtridiè *Atholii* octingeni *Montiſroſano* occurrunt, obſequium pollicíti. Confeſtim ille *Atholiæ* campos percurrit, tùm ut amicis viam duceret, tùm ut perduelles rei novitate perculſos aggrederetur, eorum copiis longo adhuc intervallo diſſitis. Trajecto *Tao*, fluviorum *Scotiæ* longè maximo, *Kilpontini* Reguli & *Jo. Drumondi* quingentis peditibus augetur. Vocati quidem à *Fœderatis* ad *Hibernorum* cædem. At audito *Montiſroſani* nomine, Regis partes ultrò amplectuntur. Hoſtem confeſtim aggreditur; Peditum ſex mille, Equitum ſepties centum, Ducibus *Elchono* Regulo, & *Tullibardino* Comite, penitùs profligat: Cæſi ex *Fœderatis* ducenti; plures capti. Mira equidem victoria, cùm nec pulvis tormentarius militi, nec plerumque arma, contra numeroſum armatúmque hoſtem. *Pertha* eo ipſo prælii die victori deditur. Hìc certior factus *Argathelium* valido exercitu adventare. Itaque trajecto iterum

Tao,

Tao, Caſtris ad *Caprum* in *Anguſia* oppidulum, ſub dio poſitis, *Taodunum*, prætergreſſus *Eskam*, contendit. Huc *Arleus* Comes, Pater & Filii, Amici complures, viri fortes illum conveniunt. Tunc auditum, à *Burglæo* Regulo *Aberdoniam* occupari, Septentrionaléſque partes, *Montiſroſano* fidiſſimas, in contrariam partem variis artibus allici. Huc volat, Hoſtéſque inſtructâ acie obvios ante urbem habet. *Burlæus* bis mille Peditibus præerat, Equitibus quingentis in alas poſitis. Majora ante aciem tormenta. *Montiſroſano* Pedites mille & quingenti, Equites quatuor ſupra quadraginta. Unum vix impetum hoſtis tulit; ſed fractus, fugâ ſaluti conſuluit. Elapſo Equitatu, Victores victis immiſti urbem ingrediuntur. At *Argathelio* majoribus longè copiis properante, quas *Lothamius* Comes mille & quingentis Equitibus auxerat; ad *Kentorium* vicum recedit. Bellum inde ad loca aſpera & montana transfert. *Bathenodiam* conſcendit, vix equis perviam. Peragratâ *Anguſiâ*, ſuperatóque *Grampio* monte, *Strathbogiam* profectus *Gordonios* ad arma vocat. *Faiviam* tandem arcem occupat. Hic ab *Argathelio* et *Lothamio* obſeſſus, eos adeò fortiter excepit, ut ob-

ſidionem ſolvere, domúmque redire coacti ſint. *Deucalidoniæ* poſteà vel ipſo *Montiſroſani* adventantis rumore territus *Argathelius*, exercitu dimiſſo, *Pertham* fugit. Inde *Montiſroſanus* ſtupendâ celeritate *Argatheliæ* Provinciam invadit, quam, ſugato rursùs *Argathelio*, ſanguine, cæde, rapinis, flammis implet. Nec ità multò pòſt cum ipſo *Argathelio* ad *Innerlochum* prælio commiſſo, cæſi mille & quingeni. *Argathelius* ipſe cymbâ elapſus, è proximâ ripâ ſuorum ſtragem intuitus. Hinc *Elgini* à civibus deditio: *Gordoniique*, *Huntlæi* natu maximi, ad partes Regias acceſſio. *Deucalidoniam* deinde progreſſis, inopina calamitas accidit. *Ludovicus Gordonius*, *Huntlæi* etiam filius, in *Aberdoniæ* prælio captus; at ſpondente fratre liberatus, literas quaſi à patre miſſas effinxit, quibus *Gordonii* omnes, ad defectionem priùs ſollicitati, nunc verò abducti, *Montiſroſanum Gordoniúmque* fratrem, imminente hoſte, deſeruerunt. Periculi magnitudine commotus *Montiſroſanus*, *Taodunum* centum & quinquaginta Equitibus, et ſexcentis Peditibus mirâ celeritate repetit. Direpto oppido, monetur *Urræum* & *Baylæum* Anglos, ter mille Peditibus, et octingenis Equitibus vix mille

mille paſſus abeſſe: ſuis ille repentè avocatis, pugnæ impar, receſſum imperatore dignum meditatur. Præmiſſis quadringenis Peditibus, ducentos expeditiſſimos Equites immiſcet, quibus ipſe agmen claudit. Inſequitur hoſtis bipartito agmine, viáſque omnes ad montes præcludit. Fortiter uſque ad noctem recedendo pugnatur. At *Aberbrothiam* prope, arbitratus *Montiſroſanus* vias omnes ad montes interceptas, ad Occidentem illicò vergit. Indè ad Septentrionales plagas; mox trajectâ *Eſcâ* Meridionali, *Careſtoniam* tandem occupat. Illuſus hoſtis fugientem deſerit.

Indè *Gordonius* ad ſuos miſſus, mille Peditibus, et ducentis Equitibus inſtructus redit. Hinc fiducia *Urræum* aggrediendi, cui Peditum tria millia, Equitum quinquies centum. Fuſo hoſte, *Urræus* ipſe & Equitatus ſummo labore elabuntur. Sic ad *Alfordiam Baylæus*, cæſis captíſque Peditibus, fugit. Funeſtavit victoriam *Gordonii* interitus. Tum *Montiſroſano* animus, bellum in ipſa Regni viſcera tranſportandi. Sic perturbaretur hoſtis, qui *Fifanam Forthanámque* regionem longè occupaverat; Ordinéſque à *Fœderatis Perthæ* indicti dirimerentur. Adde, quòd huic

huic *Aboinus*, *Gordonii* frater, *Arlæúſque* Comes, et trecenti Equites acceſſerant. *Fifam* itaque ingreſſus, *Forthâ* vado ſupra *Sterlin* oppidum trajectâ, *Kylſitham* advenit. Hoſtis *Montiſroſanum* longo fatigatum itinere, metúque oppreſſum arbitratus, pugnam adornat; intentus maximè, nè quis fugienti aditus pateret. Numerabat Peditum ſexies mille, Equitum octies centum; *Montiſroſanus* verò Peditum quater mille, Equitum quadringenos. Nec incerta diù victoria: Quippe Regii, *Arleii* Comitis exemplo incitati, qui ſexagenarius ipſe tres hoſtium turmas fuderat, hoſtem tantâ clade interficiunt, ut è Peditibus vix centum auſugiſſe affirmetur. Hinc nova rerum facies. Fœderati Proceres Regnum relinquunt. Regii palàm ſeſe oſtendunt. Quid plura? Ad Regis obſequium tota *Scotia* rediiſſet, niſi equeſtres copiæ à Rege ex *Angliâ* in ſubſidium miſſæ, in ipsâ *Angliâ* periiſſent. Adde, quòd ipſe *Montiſroſanus* à *Leſleyo* circumventus, qui à *Scotico* in *Angliâ* exercitu ſex millia Equitum adduxerat, tantùm non oppreſſus fuit. At copiis iterùm reſarcitis, terrorem Rebellibus injecit; donec Rege ipſo imperante, qui ſe *Scotis* dediderat, Exercitum dimittere, *Scotiámque*

Scotiámque Rebellium libidini relinquere coactus eſt.

Ad *Holmbeyam* jam nos revocat ſtylus. Solitarius Princeps, ſilente Parlamento, propoſitis jamdudum reſponſum parat. Nihil non negat, modò ſibi *Londinum* eundi licentia. At neque hoc Parlamento placuit; licèt plurimis aſſenſum. Reliqua non tàm negata, quàm alio tempore diſcutienda. Mirum verò quòd & audérent palàm Rebelles aſſerere, *Regem à pace averſum; nec aliquid ab eo aut oblatum, aut acceptum, quod paci viam ſterneret.* Ad Deum igitur converſus pius Princeps, totus in Lachrymis, diviníſque Meditationibus, Librum exaravit Prophetâ & Rege dignum. Opus ſummæ Pietatis, incredibilis Eloquentiæ, intra Sanctorum Scripta, Martyrúmque cœleſtes afflatus referendum. *Regis* Holmbeyæ *arcta cuſtodia.*

Interim ab ipſis Comitiis vetitum, nè valetudinarii Scrophulari, vulgò *Regio, morbo*, laborantes, ad Regem accederent. Superſtitionem vocabant, quod Religionem Prædeceſſores noſtri agnovêre; reclamante non interruptâ tot Seculorum conſuetudine, adjuvante tot Miſerorum in ipſis *Caroli* vinculis experimento.

Unum

Unum tantùm Rebellibus agendum ſupererat; nempe, ut Regis Regníque potiti, prædam tandem dividerent. At diſſidia, feraléſque inter victores cæcitates. Nec belli finis pacis initium fuit. Digladiatum diù inter *Presbyterianiſmum* & *Independentiam*, gemellos fratres, quos unus nuper uterus incluſerat. Prævaluit tamen minor, atque uſurpatâ *primogeniturâ, benedictionem* etiam extorſit. Comitia *Presbyterianiſmum*, *Scoticámque* Diſciplinam, ut *Scotis* adblandirentur, Liturgiæ abolitione erexerant; Epiſcoporum reditibus, nè Epiſcopatus reviviſceret, fiſco addictis. At diſplicebat ſeverior Diſciplina, iis præſertim qui *novum Lumen* jactitabant. *Hi tyrannidem in ſacris exoſi, ad Chriſtianam Libertatem omnes ſollicitant, quâ unicuique independenter ab altero, pro ſuo more & libitu Deo inſervire licitum.*

Independentium *artes.*

Grata hæc vulgo Doctrina, at potiſſimùm militi. Subrutâ itaque *Presbyterianiſmi* ſepe, palantes aliis paſtoribus pecudes, varias *Tremulorum*, *Catabaptiſtarum*, *Millenariorum* ſectas, et alia id genus monſtra efformant. Hi *Eſſexium* olim, præcipuóſque exercituum Duces amoverant. Suffecerant *Fairfaxium*, cui adjunxerant *Cromwellum*,

Cromwellum, qui, hominem melancholicum, Pietatis oſtentatione inſignem, Sanctimoniæ larvâ vel nolentem traheret. *Maſſæum*, et *Cookium* contrariarum partium Coryphæos, ut & poſtea *Pointzii* militem exauctorandos curârant. Hæc Presbyterianis vel ignota, vel parvi momenti; quippe qui in Comitiis numeris longè ſuperiores. At coaleſcentibus in unum Sectarum variis examinibus, tunc ſibi conſulendum arbitrantur. Prima de dimittendo exercitu cura. Is Senatulo formidabilis. At nec id palàm facere auſi. Satis, ſi nimia militum auctoritas minuatur. Obtulit ſe cogitantibus pulcherrima occaſio. Res *Hibernicæ* ſubſidium depoſcebant. Decretum igitur undecim millia militum huc tranſportari, magnámque copiarum partem dimitti, quæ magno Reipublicæ oneri erant. Relicta ad Regni incolumitatem quinque millia Equitum, mille Cataphractorum, et ſex millia Peditum. *Fairfaxio* continuatum imperium, cui abſque multâ hinc inde diſceptatione non aſſenſum. Unde nonnullis admiratio. Decretum *Cromwelli* aſtutiâ, obſequium ubique vociferantis, prolatum eſt. Non quòd Exercitum longinquis terris dividi unquam pateretur (id enim impensè oderat.)

Cromwelli *aſtutia.*

oderat.) At hoc pacto Militum animi à Presbyterianis, exosi crudelísque consilii auctoribus, deterrebantur. Audito Senatuli Decreto, tumultuari in castris cœptum. Concitatus in seditionem miles, omnia potiùs quàm *Hibernicam* expeditionem experiri statuit. Quinetiam *Agitatores* eligit, duos scilicet gregarios è singulis Peditum Equitúmque Legionibus, quibus concessa à Commilitonibus potestas ineundi consilia, & quid facto opus sit in communem utilitatem decernendi. Ab iis totius exercitûs nomine affirmatur, "Milites nec exauctorationem passuros, "nec in *Hiberniam* ituros: debita priùs "tot victoriis stipendia exsolvenda: Li- "bertatem, imperiúmque populo restitu- "enda: Regno pacem, militi præterito- "rum oblivionem concedendam." Supplex libellus *Hammondio*, *Richio* & *Iretonio*, inferiori Consessui porrigendus traditur; gravis *Presbyterianis* injuria. At longè gravior, cùm Regem ab Exercitu interceptum inaudiverint, partibus utcunque captivum momenti & ponderis. Idem ipsi decreverant. Promptior verò Exercitus delectam Equitum manum, duce quodam *Joyceo* (pio quondam *Sartore*, nunc *Agitatore*) *Holmbeyam* mittit.

Tumultuatur in castris.

Rex ab exercitu interceptus, ad castra ducitur, Jun. 3. 1647.

Incredibile,

Incredibile, quàm altè ira & timor Senatorum animos invaſit. *Cromwellus* tandem pollicitus ſe legiones ad officium redacturum, coacturúmque, vel ad ipſorum fores Comitiorum arma deponere, abeundi veniam obtinuit: Quàm imprudenter, eventus non ità multò pòſt docuit. Senatoribus verò adeò illuſit, ut non deſuerint, qui aureâ dignum ſtatuâ ſuis illum ſuffragiis cenſerent. Caſtra verò cùm attigerit, militum geſta laudibus proſecutus, iis humi procumbens ſubſcripſit. Tanti verò fecit Regis cuſtodiam *Cromwellus*, ut palàm proferre auſus, *ſe Comitia jam in Marſupio habere.*

Rex à *Fairfaxio* non inurbaniter habitus, ſummâ à *Cromwello* reverentiâ excipitur. Imò vices ejus dolet, obteſtatúrque eam exercitui mentem, ut ſibi Sceptrum, æquiores amicis conditiones reddantur. Eandem duces & milites in ſententiam conſpirant; adeò ut Rex novam rerum faciem gratulatus, *Novi-Mercatûs* ædes ſibi concedi poſtulet. Huic & libenter aſſenſum; *Fairfaxio* interim, et præcipuè *Cromwello* affirmante, *Regiam Majeſtatem tutiùs nuſquam & ſplendidiùs, quàm in caſtris emicare.* Permittitur ſacrorum, et ſacellanorum uſus. Aula ad veterem formam

Artibus pluſquam aulicis adblanditur.

mam inſtauratur. Liberrimè à ſervis & amicis ad Regem aditur. Apertum Regem inter & Reginam literarum, nuntiorúmque commercium. Regis licet liberis patrem inviſere. Ægrotis Regem adeundi, et tangendi venia. Ipſi Regii inexpectatam quandam fœlicitatem ſomniant. At hæc omnia nequiſſimæ *Cromwelli* & *Iretonii* artes, quibus non tàm Regi favent, quàm de *Presbyterianis* ſecuriùs triumphant.

De Regis in caſtra adventu certiores fecerat Ordines *Fairfaxius*, profeſſus ſe rei planè inſcium. Et profectò veriſimile, mancipatum Imperatorem auctores tàm ardui facinoris non ſciviſſe, cui & à ſuo bellico Senatu inculcatum, rem ſatìs conſultò & opportunè peractam fuiſſe. At probi rerum æſtimatores arbitrati ſunt, ad hoc *Agitatores*, *Cromwelli* & *Iretonii* monitis & præſtigiis, adductos.

Adventantem Exercitum Ordines ad Divi *Albani* fanum precibus & pretio morantur. Interim, conciliatis ſibi *Londinenſibus*, defenſionem parant. At, ut improviſis aſſolet, tumultuarii & diſtracti apparatus. Jam ingruenti inter partes diſcordiâ, eâdem methodo, iiſdem artibus, quibus olim in Regem, nunc in ſeipſos furunt.

furunt. Subornant hinc inde è provinciis & urbe ſupplices libellos; Concurrunt ad Comitiorum fores, vociferatione &. tumultibus omnia implent. Ipſa civitas in partes ſcinditur, novâ præſertim ab exercitu promulgatâ declaratione, cujus hæc ſumma: *Ut Parlamentum ſtato tempore, alio indicto, abrogaretur: Ut immenſi quod collegerant auri ratio redderetur: Ut undecim Senatores*, Hollis, Stapleton, Lewis, Clotworthy, Waller, Maſſey, Maynard, Glin, Long, Harley, Nichols, *Preſbyterianiſmi pugiles, proditionis poſtulati è Conſeſſu arcerentur*, &c. De cæteris taciti Patres, id unum reſpondent, *Non licere quempiam è Comitiis indictâ cauſâ excludi.* At non meminerunt id *Straffordio* & Archiepiſcopo *Cantuarienſi* negatum: Ipſo milite idem ipſis exprobrante. Iidem Urbi, qui Parlamento injecti terrores. Poſtulatum, ut urbis copiæ ex civibus conflatæ, aliis Ducibus crederentur. Id verò civibus adeò infenſum, ut tumultuanter Comitia ingreſſi, novam armorum Sanctionem extorſerint. Interim utriuſque Conſeſſûs Prolocutores, quinquaginta aſſeclis ſtipati ad Caſtra fugiunt. Vim Parlamento illatam clamitant; aſſerúntque ſe trium Regnorum

Tumultus Londinenſes.

Oratores ad caſtra fugiunt

Ordines. Mimico illo ludicróque Parlamento ſultus Miles, *Londinum* contendit. Fugitivos, ut vocabant, Ordines magnâ pompâ advehit, quos in priſtinam revocare libertatem jurejurando obteſtatur. Urbs, rebellionis parens, rebellium arbitrio traditur; deditis *Fairfaxio* turri aliiſque munitionibus. Sequebantur contrariæ partis Patriciorum Ordinúmque incarcerationes & exilia: traditur amicis armorum imperium. Munimenta omnia, nè rebellarent, ſolo exæquantur. Additur ſtipendio menſtruali donativum 50000 librarum Sterlingarum præmium Janiſariis iſtis ob rem benè geſtam. *Fairfaxius*, ſupremus copiarum Dux creatur. At nomine tenus, quippe *Cromwello*, & Independentibus reipsâ imperium. Triumphatis urbe & Comitiis, propoſita, ſeu potiùs mandata, prioribus atrociora Regi mittuntur, quibus a primariis Ducibus in Senatu ſubſcriptum. At ne Rex aſſenſum ullo modo daret, curant in Caſtris longè meliora promitti. Hac arte Regi illuſum. Sibi nempe gratulantur Præfecti, quòd major Caſtris quàm Comitiis, Armis quàm Togæ reverentia. Inde Senatoribus quaſi ſpretis, majus in Regem odium. Imò ipſi priſtinæ urbanitatis

Urbs rebellium arbitrio traditur.

tatis haud memores jam tergiverſari, cauſari Parlamenti reverentiam, [*riſum teneatis!*] et promiſſa in aliam partem interpretari. Tum decernitur à Comitiis, ut *Richmundiam Roſſiterus* Tribunus Regem duceret. Nec renuebat *Fairfaxius*. At ab exercitu poſtulatum, nè *Londino* Rex propior fieret, quàm ubi caſtra figi vellent Ordines. *Cromwellus* verò voti jam compos, Regem, cui fucato obſequio, artibúſque pluſquam aulicis adblanditus, nunc faſtidit, optátque è medio ſublatum. Decreverat olim, cùm in Scoticis Caſtris verſaretur, eum miſſo ſicario trucidare. Sic ambitioni & invidiæ fieret ſatis. Nunc verò terrorem Principi injicere conatur. Nec latebant Regem inimicorum ſcelera, *Cromwelli* potiſſimùm. Amici offerebant pro ſalute Regiâ vota & labores. Fertur *Lauderdalium* & *Lanericum* Comites, *Scotorum* Delegatos, ipſi inter venandum apud *Nonſuch* occurriſſe; ipſúmque, ut ſe hoſtium inſidiis eriperet, vehementer exorâſſe. At immotus Rex obtulit pactorum fidem, quibus religiosè promiſerat, ſe Caſtra inſciis ducibus non relicturum. Nec ita multò pòſt increbuit rumor, *Agitatores* in ejus caput conjurare. Hoc à ſuis non tantùm, ſed à *Whaleyo*

Rex inſidiis impetitur.

Tribuno relatum. Aiebat *ſe non poſſe Majeſtatem Regiam non obſecrare, ut ſibi in tempore conſuleret. Idem præcipuos Duces ſentire, penes quos non erat tanto ſceleri obviàm ire. Amotis undequaque cuſtodiis fugam difficilem non fore.*

Rex ſe ab exercitu ſubducit, Nov. 11. 1647.

Deceptus Princeps fluvium cymbâ tra-jicit. *Aſhburnhamius*, *Bercleyus*, et *Leggius*, Cubicularii, equos in altera ripa paraverant. Statutum *Londinum* petere, ubi de hoſpitio clam proſpectum. At laborante diſſidiis militúmque oppreſſionibus cive, ſuadente *Aſhburnhamio* urbs relinquitur. Per varios procelloſæ noctis errores, ad mare prope *Hantoniam Belgarum* perventum. Hìc non inventâ, quæ ad *Cæſaream*, ſeu *Jerſeyam* Inſulam tranſfretandum expectabatur nave, Rex, quorſum illum ducerent, rogat. Cui *Aſhburnhamius*, Ad *Vectim* Inſulam: Se enim non mediocrem in *Hamondio*, *Hamondii* Regis ſacellani, viríque integerrimi fratre, fiduciam habere. Rex Inſulam negat ſe ingreſſurum; niſi libertate priùs, et incolumitate cum Præfecto ſtipulatâ. *Hamondium Aſhburnhamius* & *Berkleyus* conveniunt, à quo reſponſum ſe Regis incolumitatem ſpondere, libertatem verò inſcio Parlamento aut exercitu polliceri non poſſe.

poſſe. Timidi Legati *Hamondium Cromwello* percharum, Inſulæque ut huic ſcenæ inſerviret, utì creditur, præpoſitum, ſecum ad Regem *Tichfeildiam* ducunt. Hoc cognito, Rex futuri anxius, percuſſo manu pectore, de ſe jam actum pronuntiat. Heu nimis Propheticè! His auditis, in lachrymas & furorem fuſi adſtantes, *Hamondium* trucidare ſtatuunt. Et profectò, clandeſtina nefarii hominis cædes Regi ſalutem attuliſſet. Noluit verò Princeps ſcelere libertatem emere. Inſulam appulſus pacem iterùm iterúmque offert, miſſis præter omnium vota Conditionibus. Literas priùs, cùm à Palatio *Hamptonienſi* diſcederet, ſupra menſam reliquerat. "Innatam, aiebat, cunctis "libertatis cupiditatem: Exercitûs levi- "tatem expertum ſe ſubduxiſſe: At ubi- "cunque terrarum foret, ſe pacem am- "plexurum: Si verò unquam ſibi liceat "in eorum Conſeſſu audiri, non dubi- "tare ſe, quin & excuſetur receſſus, et "Patriæ Pater iterùm habeatur." Cæterùm nè pacem odiſſe omnino viderentur Ordines, priora iterùm propoſita offerunt; additis quatuor iniquiſſimis præliminariis Articulis, quibus aut primò aſſentiendum, aut nullus dari Paci locus poteſt.

Vectim *Inſulam appellat*, Nov. 13.

Præliminaria Parlamenti propoſita.

1. *Abſolutum in milites concedi Parlamento imperium.*
2. *Licere ſibi Comitia habere, continuare, & pro libitu diſſolvere.*
3. *Juramenta omnia, Declarationes, Edicta in Parlamentum damnari.*
4. *Dignitates omnes, honoríſque titulos in quoſvis à Rege collatos expungi & abrogari.*

Horrenda poſtulata, quibus ſi viam Rex aperit, Regni jura proculcat, ſanguinis hoc bello ſuſi reus. Ipſi *Scotorum* Commiſſarii, publico *Manifeſto* Regi in Inſula *Vectenſi*, Parlamento *Londini*, exhibito, Religionem, Regnum, ſanctas inter utramque Gentem Leges appellant. Hoc à Rege literis promulgato, non tantùm non moventur ſcelerati homines, ſed in majus efferati, palàm adverſus Regem Monarchiámque ipſam debacchantur. Eò impudentiæ *Wrothius* unus ex iis devenit, ut *Regem in Arce quadam Mediterranea arctè cuſtodiendum aſſereret. Interim Rempublicam à ſe ipſis adminiſtrandam. Non multùm referre, quamnam Reipublicæ formam conſtituerent, Reges modò & Diaboli excluderentur.* Urgebat *Iretonius*

Efferati Novatores in Regem & Monarchiam debacchantur.

Iretonius alius, *quòd cùm Rex Parlamenti propoſita rejecerit, ſe ipſo facto Regis officium exuiſſe, cui ſumma incumbit parentium cura. Porrò civibus nullum ſupereſſe reverentiæ & obſequii vinculum; cùm hæc adeò mutua ſint & reciproca, ut ſi Rex Populi ſalutem non curet, Populo liceat ſibi conſulere.* Execrabile dogma vehementer proſecutus *Cromwellus*, ſuadebat, *Regni adminiſtrationem in Comitiis ſitam.* Orabat *ne ſalutem ab homine expectarent, cujus cor à Deo induratum. Nè ſinerent, qui ſtrenuè adeò Parlamento operam navârant, implacabilis hoſtis furoribus exponi, aut ſalutem aliunde* (admotâ enſi manu) *quærere.*

His Argumentis moniti Ordines, omne cum Rege interloquium prohibent, decernúntque *nulla in poſterùm mittenda, aut ab ipſo accipienda pacis propoſita. Hamondio Vectenſis* Inſulæ Præfecto ſcribunt, ut Regem arctiori, in arce *Carisbrokiana*, cuſtodiâ detineret. Immani decreto *Manifeſtum* additur, calumniis, vituperiiſque in Regem ubíque ſcatens.

Huic verò tam cæcâ rabie Exercitus aſſentitur, ut ſe de Rege nuſquam adeundo, decretum, vel ipſo vitæ diſcrimine, propugnaturos palàm jurarent.

Rex Populum appellat.

Rex Populum appellat. Evulgatâ elegantiſſimâ Apologiâ, objecta crimina, et convitia refellit; variorum ſcelerum, Regníque calamitatum cauſis, in Rebelles ipſos apprimè retortis. Rigidæ captivitatis diuturnitatem ſub oculos ponit. Quàm ſincerè Pacem optaverit, ipsâ rerum omnium, conſcientiâ tantùm & honore exceptis, jacturâ, luculenter demonſtrat. Nec reticet Exercitûs de ejus reſtauratione pollicitationes, tam ſanctè, et tam frequenter datas. Negatum quatuor Articulis aſſenſum, irrefragabili argumentorum pondere excuſat. Affirmat certam ſe pacis acquirendæ viam indigitâſſe, cujus ipſe ſummè avidus. At quanquam perſuadere Ordinibus nequaquam potuit, eò tamen *Anglos* adduxit, ut quaſi è Lethargia expergefacti, mirati ſint ſe præſtigiis tamdiù deluſos; animadverterénteque *Weſtmonaſterienſes* Tyrannos, ſummum, excluſo Rege, imperium appetere.

Hinc tumultuari cœptum.

Hinc tumultuari cœptum. Supplicibus Libellis ab *Icenis* & *Surreyis* poſtulatum, ut de Pace cum Rege ageretur; ſolutíſque ſtipendiis dimitteretur exercitus. Hæc verò cùm ſurdis canerentur, ad arma ruitur; moto, cùm Regis calamitate, tum tremendæ ſervitutis ominibus, toto ferè Regno,

Regno. *Cambri* primum claſſicum canunt, ducibus *Langhornio*, *Poyero*, *Powello*, ſtrenuis olim Parlamenti defenſoribus. Hi jam exauctorati, Regias partes amplectuntur, *Walliæ* Principis imperium & fortunam ſequuti. *Langhornius*, accurrentibus *Wallis* octo millibus collectis, latè dominabatur. A *Nicholao Kemiſh* & *Johanne Oweno* Equitibus, Regi ſemper fidis, debellatus *Arvorniæ* Vicecomes: Interceptáque Arx *Strigulia*. Sic tota ferè *Cambria* jugum videbatur excuſſiſſe. Cambri *primum claſſicum canunt.*

Cantianis ad *Roffam* urbem, multi *Londino* Tyrones & exauctorati confluunt. Comes *Norwicenſis*, qui tùm fortè aderat, in ducem electus. Hoc territi Ordines, Militiam urbi ſuam jam nutanti reſtituunt. *Skippono* credita rurſus urbanarum copiarum Præfectura. Sic poſitis ad amnem & in aditibus cuſtodiis, omne cum *Cantianis* commercium abrumpitur. *Cromwellus* magnis in *Cambros* copiis proficiſcitur; in *Cantianos* *Fairfaxius* ſexies mille Peditum, et bis mille Equitum ducit. Regii, neſcio quo fato tripartiti, dum ſinguli pugnant, univerſi vincuntur. Mille & centum ad *Maidſtoniam*, tranſitum hoſtium ut impedirent, *Dein* Cantiani.

dirent, ſummâ fortitudine pugnârunt. Oppidum apertum ubique, et obvium, ſex horis contra *Fairfaxianos* defenſum. Nec dubitatum debellari hoſtem potuiſſe, ſi *Norwicenſis* toto exercitu in auxilium advolâſſet. At ille, copiarum parte *Dubrim* miſsâ, planitiem, cui nomen † *Nigram*, contendit. Hinc tranſitum in *Eſſexiam*, à civibus promiſſum, poſtulat. At cùm negaretur, *Tameſim* fluvium quà cymbis, quà natando trajicit. Ad *Londinenſium* pervicaciam dilabuntur plurimi. Ipſe quingentis ſtipatus, ad *Bowam Carolo Lucaſio* jungitur. Hìc cùm aliquandiu permanſerit, *Londinenſes*, ſi quid ab iis tentatum, adjuturus; adventante *Fairfaxio*, receſſum meditari cogitur. Regii, interceptis Parlamenti Legatis ad *Cæſaromagum*, *Colceſtriâ* tandem occluduntur celebri obſidione. Nec minor *Cromwelli* in *Cambria* Fœlicitas. Fuſus ab *Hortonio Langhornius* mille & quingentos militum amiſit, captis ſupra tribus millibus, omníque inſtrumento militari. Fugâ elapſi *Pembrokiâ* à *Cromwello* obſidentur. Hic, receptâ priùs Arce *Tenbicenſi*, expugnatáque per Legatum *Eureum Striguliâ*, ſe totis viribus ad *Pembrokiæ* expugnationem accingit. Increbreſcente verò *Scoticæ*

† Black-Heath.

Fairfaxius Cantianos *debellat.*

ticæ Invaſionis rumore, ſtatuit Oppidum, utcunque validum, præſidio, omnibúſque ad defenſionem neceſſariis, munitum, impetu aggredi. At magnâ ſuorum clade repulſus. Territos repulsâ milites *Cromwellus* revocat; minatus præſidiariis famem longæque obſidionis mala. Oppidum tandem Conditionibus non contemnendis deditur, permiſſis hoſtium arbitrio tribus primoribus Præfectis. Profligatur in *Venedotia* à *Myttonio* Tribuno, capitúrque *Owenus*. Sic pacatâ *Cambriâ*, in *Scotos* caſtra *Cromwellus* movet. Hi Regis liberandi, reſtaurandíque gratiâ, *Angliam* invaſerant inſtructiſſimo exercitu. At liceat hìc rerum, temporúmque viciſſitudines obſervare. *Scoti* à Parlamento antea magno labore & pretio ad partes vocati, domúmque ſub finem belli egregiis muneribus miſſi, mutatis conſiliis *Angliam* iterum infeſtant, Regi in Parlamentarios militaturi. Exercitui præerat *Jacobus* Dux *Hamiltonius*, nuper ab Arce *Pendennenſi* liberatus. Huic *Langdalius*, et *Muſgrovius*, magni viri, *Anglorum* tria millia adduxerunt. Exercitus penè invictus, Votis & Conatibus hominum ſi Deus faviſſet. Quamprimum Rex *Hamiltonium* Ducem copiis præeſſe audiit, ominoſum

Cromwellus Wallos *ſeu* Cambros *devicit.*

ſum exitum auguratus eſt; quippe hominem infœlicem, et forſan alia cogitantem noverat. *Cromwellus Lamberto* auctus (cum undecim veteranorum millibus, bello & victoriæ aſſuetis) mediam *Scotorum* Aciem duobus à *Preſtonia* milliaribus inopinanter aggreſſus, abſque prælio fudit. Angli *Langdalii* ductu fortiſſimè pugnârunt; at in ipſo prælio neglecti, multitudine opprimuntur. Hinc debellatus infœlix *Hamiltonius*, exercitûs, libertatis, et vitæ poſtea jacturam fecit. *Scoti* Ductorum perfidiâ, vel inſcitiâ, vel ſaltem diſſidiis (nam non benè *Hamiltonium* inter, et *Kalendarium* conveniebat) in fugam converſi, nec pugnare omnes, nec ſibi ob nimiam Cornuum diſtantiam auxiliari potuerunt. *Bayleus* ad pontem *Waringtonenſem* poſt acrem cum inſequentibus pugnam pactâ incolumitate, ſeipſum & ſex millia Peditum victoribus tradit. *Middletonius* Exercitûs Inſtructor, cum quadringentis Equitibus intercipitur. Ipſe *Hamiltonius*, expeditionis Dux, ad *Etocetum* in agro *Staffordienſi*, *Grayo* & *Wayteo*, ſe & tria millia Equitum ſine vulnere dedidit. Pauci, cùm *Scotiam* repeterent, in *Monrowum*, qui ſex mille militum, ſubſidiarias *Hamiltonio* copias ducebat,

Scoti *funduntur, capto* Hamiltonio *Duce*, Aug. 17. 1648.

cebat, incidunt; Eúmque cladis jam certum, in patriam redeuntem comitantur. Hos inſecutus *Cromwellus*, *Edinburgum* pervenit. Ibi junctis cum *Argathelio*, à quo accitus, viribus & conſiliis; armis Regiis non tantùm interdictum, ſed indictis Comitiis belli injuſtè ſuſcepti confeſſio adornata. Compoſitis in *Scotia* rebus, *Cromwellus Angliam* inter feſtivas acclamantium voces redit. At priùs cum *Argathelio* de Monarchia extirpanda, perpetrandóque Regicidio conſilium inierat. Interim *Colceſtria* acerrimè defenditur, ſpe ſuppetiarum à *Scotis* ferendarum. At conſumptis eduliis, ipſis Equis, Canibúſque in pabulum deficientibus, pactâ obſeſſorum ſalute, poſt trium obſidionem menſium deditur. Captâ urbe, tres nobiliſſimi viri, *Capellus* Regulus, *Lucaſius*, et *Lyſleyus* Equites, fide ac fortitudine inſignes, ſanguinarii bellici Senatûs judicio condemnantur, nullius criminis rei, niſi ſummæ in Regem conſtantiæ. *Lucaſius* & *Lyſleyus* extemplò trucidantur à militibus carnificio deſignatis, glandibus confoſſi. Monſtratur etiam nunc *Colceſtriæ* lapis, in quem receptus dum effundebatur *Lucaſii* & *Lyſleyi* ſanguis, nullâ arte deleri unquam potuit; æternum horrendæ feritatis

Colceſtria *deditur.*

tatis monumentum. Hoc Lapidi inſcriptum Epitaphium:

Hìc jacent Car. Lucas, & Geor. Lyſle, *barbarè à* Fairfaxio *mactati.*

Servatus pro pegmate *Capellus*, mortem eâdem qua Nobiles Amici conſtantiâ, et animi magnitudine perpeſſus eſt.

Magna Claſſis pars, ad Principem defecit.

Nec tantùm in Arido pugnatum; habuit & ſua Mare certamina. Magna Claſſis pars tyrannidem deteſtata, ad Sereniſſimum Principem defecerat, quam *Battenſius* à Senatulo dimiſſus aliquot navigiis auxit. *Rainsborovium* Præfectum turbulentiſſimum rerum, et perſonarum *Complanatorem*, qui & poſtea à *Pomfretenſibus* occiſus, in littus expoſuerant nautæ. Jámque Regias partes miro conſenſu amplexi, præteritorum veniam recentiori obſequio demerentur. Claſſe viginti Navium bello inſtructiſſimarum *Carolus* Princeps cum *Eboracenſi* Fratre, qui nuper ex *Anglià* muliebri habitu fugerat, *Rupertus* Princeps, *Brandfordius*, *Hoptonius*,

tonius, aliíque viri fortes ex *Hollandiâ Gariannonum* appellunt. Inde *Colceſtriæ* ſuccurrere attentatum. At littore ubique, et aditibus ab hoſte præcluſis, ad oſtia *Tameſis* navigant, terrorem *Londino* & bellum allaturi. Tum Princeps *Manifeſtum* evulgat, quo ſe in armis aſſerit, vindicandæ Regis perſonæ, immunitatúmque *Londino* reſtaurandarum gratiâ. At à Pſeudo-ſenatu reſponſum, publicóque cautum Decreto, *Quòd ſi quis Principi* Carolo *terrâ marique ullatenus auxilium ferret, proditionis & rebellionis reus haberetur.* Nec ibidem diu morati, *Dunium*, famoſam navibus ſtationem, in conſpectu habent. Obſeſſis *Deala*, *Walmero*, et *Sandovico* Caſtellis ſuppetias ferre ſtatutum. At rejecti poſt acrem pugnam Claſſiarii, naves repetunt. Hinc Caſtellorum deditio. His haud proſperè geſtis, *Warwicenſis* Comes Parlamentariæ Claſſi præpoſitus, adornandis navibus acriùs inſiſtit. Jámque adjunctâ ſibi *Portsmuthenſi* Claſſe, in Principem movet. At territus aliorum defectione, nec ſuorum fidei certus, Prælium in aliud tempus differt. Occaſionem Claſſis hoſtilis perdomandæ perditam arbitrati ſunt nonnulli. Claſſiarii Regii animoſi

animoſi ſimul & fidi: dubius verò nec ſtrenuus hoſtis. *Carolus Hollandiam* redit, commiſsâ *Ruperto* Principi Claſſis Præfecturâ. At navium plurimæ, pro innata nautis levitate, rebus præſertim infœliciter terrâ geſtis, deſerto Principe, ad *Warwicenſem* iterum volant.

His peractis, abſente exercitu (*Cromwellus* enim *Scotos Edinburgum* uſque inſecutus fuerat) è Provinciis, à navium ducibus, ab urbe *Londinenſi*, ſupplices Libelli Parlamento exhibiti, quibus, ut cum Rege denuo de Pace agerent, vehementer efflagitabatur. *Presbyterianorum* quidem arte, qui *Independentium* numeros veriti, ſibi in tempore conſulendum putabant. Revocatis itaque, de Rege non ampliùs adeundo, Decretis, propoſita prioribus haud abſimilia legati afferunt; facultate datâ pacem intra quadraginta dies ſanciendi. Inito colloquio, brevi patuit Regem divini planè ingenii Principem, qui ſolus Legatos quindecim, vel invitos, ſuam in ſententiam pertraxit. At cùm nulla propoſitorum mutandorum data eſſet poteſtas, Rex pacis cupidus, plurimis, vel præter vota, aſſenſum præbuit. Compoſitis igitur ferè ex ſententia rebus, læta Concordiæ ſpes omnibus affulſit. At Comitiis tempus

Colloquia de Pace in Inſula Vectenſi *reſumuntur*, Sept. 18. 1648.

tempus circa minutiora miſerè terentibus, nova, nulláque arte placabilis, tempeſtas oritur. Exercitus hucuſque bello occupatus, Superiorum Placitis non adverſabatur: At depreſſis Regiis Monarchiæ ſubverſionem, Regíſque exitium palàm minari audent. *Rolfeo* antea Sicario quodam in Regem, at fruſtrà, uſi, nunc ipſi Regicidii gloriam ambiunt. Editur à ſceleratis hominibus declaratio, *Remonſtrantiam* vocabant. Hujus Auctores *Cromwellus* & *Iretonius*. *Eureo* Tribuno & ſeptendecim ejuſdem farinæ portentoſis nebulonibus Parlamento tradenda committitur. Poſtulant *Regem tanquam capitalem hoſtem judicio ſiſti: Principem* & Eboracenſem *Ducem cauſam dicturos ad diem vocari: Penes Parlamentum Imperium collocari; quo finito, annualia vel biennalia indicerentur.* Offertur *Remonſtrantia* ſui & populi nomine. Inde caſtra *Londinum* verſus movent. Nec ſiſti ſe patiuntur, jubente Parlamento. Imò levitatis, inſipientiæ, perfidiæ Ordines accuſant. Populum appellant. *Weſtmonaſterium* inſuper contendunt; ibidem quicquid deo placuerit acturi.

Rex tanquam capitalis hoſtis ab exercitu accuſatur.

Inter hæc Rex, jubente *Fairfaxio*, ab *Eureo* Tribuno interceptus, ad Arcem

Ad Arcem Hurſtenſem *ducitur.*

Hurſtenſem, frigore & aëris inſalubritate infamem, ducitur. Ab Inſulâ *Vectenſi* nondum digreſſus, Parlamenti Commiſſariis jam valedicturis; poſtquam de rerum ſtatu perampliè prolocutus, addidit; *Huc adeſtis mihi dicendi vale gratiâ. Hoc reor eſſe ultimum vale. At fiat voluntas Dei; pacem cum illo ſpero me iniiſſe. Impavidus nihil non ab hominibus patiar, quod Deus inflixerit. At nec vobis lateat occaſum veſtrum meo proximum; idque propediem. Conciliet vobis Deus meliores, quàm ego expertus ſim, amicos. Novi omnes in me, meóſque machinationes. At nihil æquè animum angit, ac calamitates Populo Regníſque meis impendentes, quarum ipſi cauſa, qui Publici Boni ſpecie, Privata Commoda, Gloriámque inſectantur.*

Fairfaxius eò ſceleſtior, quòd in alterius Gratiam inſaniebat, ducto *Londinum* exercitu, non minus Parlamento, quàm Regi olim infenſo; ipſe hoſpitium in Regia domo, vulgò *Alba Aula*, impudenter ſumit. A Comitiis tamen decretum, *Regis conceſſionibus & reſponſis ſibi fieri ſatis.* At id ſeriùs quàm par erat. Perduelles enim furiis agitati, miſſo ad Comitia Scripto, accuſatos antea Ordines, alióſque

aliósque vel Regi, vel *Scotis*, vel Pacis colloquiis propenſos, Parlamento abſque morâ excludi jubent. Nec expectato reſponſo, obſeſſis Conſeſſûs foribus, quadraginta & unum è Senatoribus in carcerem conjiciunt. Centum & quinquaginta ingreſſu arcent, admiſſis tantùm *Cromwello* & *Cromwellianæ* factioni mancipatis.

CXCI. *Senatores ab Exercitu vel incarcerantur, vel è Conſeſſu ejiciuntur.*

Urbicus etiam Senatus prorſus mutatur, ſuffectis ex Plebe *Fanaticis*. Horum quadraginta à ſeipſis nominati *Prætori* ſuperiores. Hi eodem quo *Agitatores* furore perciti, Libello adverſus Regem edito, urbem Regicidio contaminant, involvúntque. Mutatâ in hunc modum Tyrannide, prædam quam tamdiu venati *Presbyteriani*, eripiunt *Independentes*, rerum ſcilicet arbitrium. Quodcunque à *Presbyterianis* decretum de pace, de Collegis damnatur, et reſcinditur. Eò uſque adulationis Procerum nonnulli devenerunt, ut *Fairfaxio* offerrent, ſe Titulos Honoris & Privilegia renuntiaturos, ſi Populi Libertatibus contraria cenſerentur. Rebus itaque ſic ſtantibus, amotíſque Parricidii diu meditati impedimentis, Rex raptus de Carcere in Carcerem, *Londinum* tandem, tanquam bello captus ducitur. *Windeſoriæ* ſolita Regibus hono-

Rex Londinum *ducitur*, Jan 19. 1648.

ris & reverentiæ teſtimonia omittuntur. *Hariſonius* Tribunus, lanionis filius, ei in curru operto capite auſus eſt aſſidere. Mortalium innocentiſſimum, ſanctum Principem, tanquam Agnum ad Macellum trahit impudentiſſimus Nebulo. Nec deſuêre in illâ ipsâ latronum turbâ, qui eum legibus nequaquam ſubjici poſſe arbitrarentur. At quandoquidem eum armis debellatum multi cauſabantur, iis reſponſum, Non ideò reum, ſed infœlicem tantùm Principem. Sed iterùm iterúmque *Regem è medio tollendum* vociferantur impii. Nec muſſitant alii, ne & ipſi expellerentur. Ordines tamen rem exercitui perpetrandam, utpote inauditam & abſque exemplo, relinquunt. Facinus verò ipſi, ſceleſtiſſimi licèt, declinant. Id verò Ordinum animos altè perculit, quo pacto perjurii infamiam evitarent. Nulli enim Genti Sol toto terrarum orbe affulget, quæ tot tantíſque ſuo Principi Sacramentis devinciatur. Tantus apud nos Sacramentorum uſus & Religio! At illud in promptu conſilium, quod ipſis Pietatis, Religioníſque corruptoribus nuſquam in mentem venit. Decreto ſe à Sacramentis toties repetitis abſolvunt; rati quòd turmatim eludi id poſſet, quod ſinguli fecerint.

cerint. Horreant posteri cùm audierint, id pro lege ab iis latum, *quòd quotiescunque Rex in Parlamentum bellum susciperet, perduellionis toties reus haberetur.* Id Proceribus à Barone *Grayo* perlatum, ut assensum darent, summâ indignatione rejicitur. Inde efferati Ordines, octava vix Senatûs pars, spreto superioris Domûs assensu, impudenter decernunt;

1. *Omnem potestatem, júsque omne, sub Deo, Populo primitùs inesse.*
2. *Ordinibus à Populo jus illud delegari.*
3. *Quod Populus in Comitiis sciverit, id vim legis obtinere.*

Istis fundamentis Justiciæ Curia extruitur. Inaudita res præteritísque haud cognita sæculis! Interim reclamant, at frustrà, Proceres. *Scoti*, quantùm ab iis abhorreant, per Legatos testantur. *Batavi*, Reformatæ Religioni scandalum & infamiam tanto scelere æternum, creatum iri edocent. Dux *Richmondiæ*, *Hertfordiæ* Marchio, *Southamptoniæ* & *Lindzæi* Comites, magnum auri pondus, si Pecuniam requirant; si verò Sanguinem, se ipsos inclyto magnanimitatis exemplo trucidandos

cidandos offerunt. *Carolus* Princeps unà cum *Orangio* Principe, inveſtigatos qui tunc in *Hollandiâ* degebant, *Cromwelli*, *Iretonii*, aliorúmque Conjurantium cognatos, affines, neceſſarios in *Angliam* mittunt. Facultas iis datur offerendi, promittendi omnia, nihil non agendi ut incœpta averterent, aut ſaltem morarentur. Literis Regina Prolocutorem orat, quæ à *Galliæ* Legato traditæ, nedum lectæ, rejiciuntur. Nec profectò quicquam è *Galliâ*, per eos dies eâdem Rebellionis inſaniâ laboranti, expectandum. Ipſi *Preſbyteriani* Præcones, qui ſeditioſiſſimis Concionibus ad has Regem anguſtias coëgerant, nunc ſceleris infamiâ perciti, vel ſuas vices, ab *Independentibus* veriti, parricidas literis, ſupplicibus libellis, et è Suggeſtu Concionibus adjurant, ne Gentem Anglicanam horrendo Regicidii reatu involverent. Imò Princeps obtulit quas vellent, ſine ulla ſtipulatione, Conceſſiones. At nec Sacramentorum Religio, nec publica & privata fides toties data, nec Regni, Gentium, Naturæ Leges, nec Religionis præcepta Barbaros movent. Centum & quinquaginta è Rebellium peſſimis, ad judicandum Regem nominantur. At citò è ſcelerato nigróque Indice, expun-

expunguntur aliquot Proceres, Regníque duodecim Judices. Quippe, licèt ab ipſis Rebellibus ad tantum faſtigium evecti, auſi ſunt aſſerere, *Non licere civibus Regem in judicium vocare.* Prodiit tunc è Comitatu *Hertfordienſi* Præſtigiatrix quædam. Hanc *Virginem Hertfordienſem* vocabant. Illa ſibi à Deo revelatum aſſeruit, benè & ſanctè, quodcunque ab exercitûs Ductoribus actum. Hoc quaſi cœlitùs delapſum, mirum quantâ hauſtum aviditate.

Inter Regis Judices, Fabri lignei, Sartores, Cereviſiæ Coctores, Aurifabri, Sutores, &c. numerantur. Adde plures non melioris luti duces, Regiis Reditibus ut & Sanguini inhiantes, et ad omne ſcelus paratos. Huic Tribunali ſiſtitur Rex. Nec auditus, nec convictus, Criminum, quæ ipſi Judices perpetraverant (Proditionis nimirum, Tyrannidis, Homicidii) reus capite damnatur. At de his in Exterorum gratiam paulò fuſiùs : *Tribunali ex ſibi ſubditis ſiſtitur.*

Quanquam animus meminiſſe horret luctúque refugit.

Diebus aliquot in concinnanda ſacinoris methodo tranſactis, in varias abierunt ſententias nefarii illi Judices. Fuere qui eum

dignitatibus exui priùs, dein ad privati hominis ſortem reductum perimi vellent. At nec id placuit, quippe rei tarditate periculoſum, et Papiſmo, ut dicebant, conſonum. Qui verò regimini inhiabant Oligarchici, Regem quatenus Regem, judicio ſiſti urgent, ut ejus ſanguine quà tali *Majeſtas* extinguatur; ipſáque *Monarchia* cum ipſo trucidata, occidat. Fatebantur ex iis nonnulli, *Carolum nullius, præterquam quòd Rex eſſet, criminis reum. Vereat neceſſe eſſe qui tantis Virtutibus, indubitatóque Succeſſionis jure inſtructus, ad ſortem privatam reduci nunquam poteſt.*

Itáque citatis per Fecialem tubarum clangore Actoribus, et in Regem teſtibus, XX. *Januarii*, Stylo veteri, in *Aula Weſtmonaſterienſi* conveniunt. Tunc *Johannes* quidam *Bradſhawus*, execrabilis Curiæ Præſes. *Leguleius*, hoc tantùm abominando ſacinore notus, Regem coràm ſiſti jubet. Belli inter alia in Parlamentum moti, fuſi in præliis ſanguinis poſtulatur. Tyrannidis, Perduellionis & Homicidii accuſatur. His Rex ſuperciliosè auditis, vultu ad Majeſtatem compoſito, à Judicibus quærit, *Quâ auctoritate huc adducitur? Non eum latere, multos illegitimâ*

Accuſatur,

gitimâ auctoritate ut latrones, et ſicarios graſſari. Meminerint ipſi, ſe Regem, et ſummo jure ſuum. Quâ igitur auctoritate legitimâ agerent, notum facerent? Se aliis objectis, etiamſi falſiſſimis, non reſponſurum. Sibi enim fixum, Provinciam à Deo ſibi traditam, et longâ Anteceſſorum ſerie firmatam, non prodere. Ad hæc Præſes, *Illum populi, à quo electus Rex fuit, auctoritate accerſitum.* Cui Rex, *Regnum apud* Anglos *non electivum, ſed mille retrò annis hæreditarium. Sibi populi libertatem magis curæ eſſe, quàm larvatis illis Judicibus. Proinde optat, ut ſuam priùs auctoritatem aſſerant, nec ſe ſibi defuturum promittit.*

At Præſidi, Regis Sermonem ſæpiùs abrumpenti, eandémque de Populi auctoritate cantilenam blateranti, retulit Rex; *A nemine Inferiorem Conſeſſum pluris quàm à ſeipſo æſtimari; at ubi Procerum Ordo? Ubi Rex ipſe? Quibus Parlamentum conſtituitur? Hiccine colloquiis finis publicâ fide inchoatis, et tantùm ad concluſionem non perductis? Quâ Scripturarum parte, quibus Regni legibus, auctoritas illa ſtabilitur? Hoc ſemel perſpecto, ſe protinus reſponſurum.* Affirmante Præſide, Curiam, ni reſponderet, ulteriùs progreſſuram;

ram : *Si Judices*, inquit, *pudeat coram Deo & hominibus poſtulatorum rationem reddere, abſit ut reſpondendo populi libertatem infringam. Nec minus peccat qui tyrannicum, aliúdve illegitimum Imperium agnoſcit, quàm qui legitimæ poteſtati adverſatur.* Atque hæc primæ Conventionis ſumma, abrepto iterùm in carcerem Principe.

Biduo pòſt Regum optimus iterùm accerſitur. Præſes, monente Procuratore, poſtulat, *Ut vel objectis reſponderet, vel ea pro confeſſo haberentur. Nec id inquirendum an jure Curia agat, nec ne ? Sed tantum crimen vel fateatur, vel refellat. Si ultimum, teſtes in procinctu adeſſe.* At Rex, *Se, ſi de ſuâ tantum causâ ageretur, ſatìs ſibi ſuperque eſſe exiſtimare, ſi Curiam probaverit contra leges omnes erectam; Anglorúmque Regem nulli in terris Imperio ſubjici. At id potiſſimùm urgere, quippe quòd communem Populi libertatem, et incolumitatem ſpectet : Expectâſſe ſe ut reſponderent, quo jure, quâ lege ſuum detinere Regem, et ad Judicium vocare auderent ? At cùm id fruſtrà, ſe rationes in medium prolaturum, cur allegatis non reſpondeat ?* Pergentem interpellat Præſes, *Satis ſibi conſtare quo jure agerent ; nec ſe*

ratio-

rationibus in contrarium egêre: Inferioris Conſeſsûs (quem apud nos *Communium Domum* vocant) *conſulta, Regni rationes eſſe; nec in examen revocanda quibus Prædeceſſores ejus, et ipſemet, ſemper obnoxii fuere.* Profligatiſſimo mendacio Rex attonitus, *negat, Communium Domum Juris curiam eſſe, aut fuiſſe unquam.*

Excandeſcens Nebulonum peſſimus ait, *Talia captivo verba non licere; in quem niſi reſpondeat, tanquam in contumacem animadvertendum.* Poſtulanti rurſus, *Ut ſaltem audiretur*, rigidè refert, *Nihil contra ſupremum Curiæ jus audiendum.* Huic Rex, *At ſaltem Curiam aut Juriſdictionem toto Orbe oſtenderet, in qua nullus rationi locus. Imo in hac*, ſubjicit Præſes, Angliæ *Communium, proximo Seſſionis die, plura de Curiæ jure, ultimámque fortaſſe hujus determinationem audies.* Interim ad Cuſtodiam trahitur, quos, cùm abiret, monet, *ut ſe Regi ſuo pro Populi libertate diſſererenti, aures præcluſiſſe meminerint.*

Proximâ die eâdem conſtantiâ Curiæ auctoritatem negat. Unde à Præſide graviter exceptus, jubetur, ut *Curiæ obſequatur, cujus juſtitia neminem agnoſcit.* At Rex, *Accuſationis onus ſe nihili, plurimi verò Libertatem Populi facere. Nolle ſe novæ*

novæ & inauditæ Curiæ, cùm Rex eſſet, parere; violatis tum ſuis privilegiis, tum fundamentalibus Regni legibus. Tum ab impudentiſſimo Latrone ſubjunctum, *A Rege jam tertiùm auctoritatem dignitatémque Curiæ, ludibrio expoſitam: Satis conſtare ſanguineis toto Regno exaratis caracteribus, quàm ſtrenuè populi libertatem defenderit.*

Voluit Rex Argumenta contra Curiam calamo commiſſa Judicibus tradere. At renuit Præſes, tanquam Comitiis contrarium. Itaque poſt triduum adductus iterum Rex, poſtulat *Ut paucis audiretur. Id à Curiâ inquirendum*, retulit Præſes; cúmque aſſenſum negaſſet, in hæc verba præfatur: *Aſtantium nemini non notum, reum multoties coram hoc Tribunali conventum, variiſque criminibus accuſatum. At nec ut objecta refelleret, nec Curiæ auctoritatem, imò ſuperioris, quâ conſtituitur, agnoſceret, adduci nunquam potuiſſe. Ne curia itaque ſibi & Comitiis deeſſet, in Contumacem objectorúmque reum, ut ex probationum multitudine apparebat, placebat Sententiam ferre.* At quando expetebat ante latam Sententiam, loquendi facultatem, *Judices hac in re roganti faciles ſe præbituros, modò nihil de Tribunalis jure in medium proferret.* *At*

At ſi vos, inquit Rex, *pigeat iis aſſenſum dare, quæ meo quidem judicio plurimùm ad Regni pacem, Populíque libertatem conferunt: At ſaltem dixerim, nihil per multos dies, præter conſcientiam & honorem, quovis vitæ amore ſanctiora, mihi relictum. Et profectò, propriæ ſaluti, quàm publicæ paci, ſubditorúmque mihi libertati niſi minus ſtuduiſſem, defenſionem aggreſſus, fœdæ in me ſubitò ferendæ ſententiæ moras injeciſſem. Non mihi latet, Præcipitem Sententiam anteverti faciliùs, quàm retractari poſſe. At ſuperavit ſalutis curam, patriæ ſecuritatis deſiderium. Liceat igitur mihi, ante latam ſententiam coram utriuſque Ordinis Senatoribus audiri, ſi inania effudero, penes eos judicium eſto: Sin æqua, et ad regni bonum conducentia, audienda certè, votíſque excipienda. Si vos itaque moveat civium fœlicitatis tantopere jactatum deſiderium, id concedatis velim. Rem, adhùc forſan inauditam, diligenter perpendite. Si verò renueritis; Cœlum, terrámque teſtes invoco, Regem à ſibi ſubditis nec potuiſſe audiri; tot tantáſque pacis libertatíſque oſtentationes, larvas tantùm eſſe & ſomnia.*

His auditis ſecedunt Barbari Judices; decretúmque, poſt longam altercationem, *Regi*,

Regi, utpote moras nectenti, non auſcultandum. Nonnulli in contrarium opinabantur, urgebántque Regem audiendum. Pauci conſcientiæ aculeis ſtimulati, ſocios, non reverſuri, derelinquunt. Cæteris in Curiam reverſis, Præſes, quâ incœperat immanitate Regem acerrimè perſtringit, omnéſque in rerum adminiſtratione errores illi aſcribit. *Reges Populo & Legibus inferiores* affirmat; Prolatíſque aliquot Principum exemplis, in *Scotia* præſertim; ubi ex centum & novem Regibus, media ad minimum pars violentâ nece periit, à ſuis ſubditis illatâ. Finitâ longiſſimâ juxtà ac horrendâ oratione, perlectâque accuſationis formulâ, Sententiam in hæc verba legi jubet;

Damnatúrq;.

Quòd Carolus Stuartus *tanquam Tyrannus, Proditor, Homicida, publicus Hoſtis, neci adjudicatus, ſecuri percuteretur.*

Non abs re fuerit, nonnulla, quæ extra ordinem variis Curiæ Seſſionibus evenerunt, referre.

referre. Rex miram animi Conſtantiam, Majeſtatémque ſemper præ ſe ferebat. Nec quid unquam faſtigio, quo eminebat, indignum, vel agebat, vel loquebatur. *Tyranni* & *Proditoris* nomina, ſubridens excepit. Baculi, quo utebatur, capite in terram lapſo, nemine inter tot barbaros manum porrigente, illud ipſe ſuſtulit. At cùm animadverteret hoc ab aſtantibus in Omen trahi, *Hoc nihil*, inquit. Dum à *Bradſhawo* impiiſſimo Præſide conclamaretur, *Judicium in Regem à tota Anglorum Gente poſtulari*; *Fairfaxii* Uxor, Curiam diſturbare non verita, altè clamitat, *Hoc turpe mendacium*; *nec decimam* Angliæ *partem* (milleſimam potuerat dixiſſe) *ita ſentire, ſed iſta proditoris* Cromwelli *artibus patrari.* Culpabat Barbarorum erga Regem irreverentiam. Adeo ut militibus (*Axtelio* Tribuno matronam *Meretricis* vocabulo caſtigante) aliiſque occaſione motis ſilentium imponere haud facile. Neſcio, an hoc multùm à *Pilati* Uxoris facto alienum. At quod de *Bradſhawi* Uxore ab aſtanti audivimus, propiùs accedit. Illa, die quo laturi Sententiam erant Tartarei Judices, Mariti cubiculum ingreditur. In genua delapſa, fuſáque in lachrymas, eum multis ſuſpiriis orat, obſecrátque,

ſecrátque, *Ut abſtineret, nec Sententiam in Regem diceret, ne coram tremendo Regis Cœli Tribunali ipſemet reus ſiſteretur. At ille, ut faceſſat, jubet, profeſſus ſe à Rege nullâ unquam injuriâ affectum, nec ſe ullam illi, niſi ex legum præſcripto, injuriam illaturum.*

Latâ crudeli Sententiâ, Rex inde militibus illudendus abripitur. Hi, depoſitâ omni Majeſtatis reverentiâ, ut antè *Juſtitiam*, nunc *Supplicium*, ut *Judæi* olim *Crucem*, *Crucem*, inſtigante *Axtelio*, *Peterſio*, aliíſque vociferantur. His non alio reſpondebat modo, quàm, *O miſeras animas! Idem adverſus duces ſuos, modico empti pretio, facerent.* Quod & poſtea evenit; reſtituto *Carolo II.* ipſis in Regis Judices æquali boatu conclamantibus. Fuêre qui Tabaci fumum, à cujus nidore Rex abhorrebat, in ſacrum os eructarent; tubulorúmque fragmina ad ambulantis pedes projicerent. Ac, ne *Servatori* abſimilis foret; non defuit, qui venerandos vultus ſalivâ conſpurcaret. Hanc linteo abſtergens, *Chriſtus*, inquit, *mei causâ plura paſſus eſt.* Enthuſiaſticorum militum aliorúmque quæſtiunculis, diſputationibus, ſcommatibus, ludibriis, petulantiâ turbatus, vel argumentis repreſſit, vel negligendo

gendo eluſit: In adverſis, non minus quàm in proſperis, immotus.

Epiſcopus *Londinenſis Juxonius*, jam tandem admiſſus, magnam ob vitæ ſanctimoniam Regi lætitiam attulit. At cùm tardiùs veniſſet; Rex ei, *Quòd tam ſerò adſis, tuâ non culpâ factum credam. Jámque cùm hi nequiores necem mihi brevi illaturi ſint, tibi & mihi conſulendum, quantum inde emolumentum capiamus.* Obtulerant equidem quoſdam è ſuis Myſtellis Rebelles: At iis rejectis, ſuóque jam fretus Sacellano, morti adeò ſe diſpoſuit, ut ejus terrores, priuſquam ingruerent, ſuperaverit. Inter hæc mortis præludia, nova propoſita præcipui Duces afferunt. *Ut Rex lege curaret Exercitum quadraginta millium eodem Imperatore, iiſdem Ducibus perennari; conceſſâ Senatui bellico poteſtate, vacuas pro libitu Præfecturas, vacuóſque Ordines novo delectu adimplendi; nec non ſtipendia à Populo militariter exigendi, &c.* At Rex uno vel altero audito, Poſtulata indignabundè rejicit. Reſpondet, *Se nec poſſe nec velle iis aſſentire, quæ Populi Libertati, Conſcientiæ & Honori Regio, et cuivis Chriſtianæ Reipublicæ adverſantur.* Nec Populi commoda ſuis tantùm prætulit; at vel privatos homines

noluit, suæ salutis gratiâ periculis involvi. *Neoburgus* Regulus & nobilissima Conjux, cùm in ædibus suis *Bagshotti*, viam aperirent, feris custodibus, à quibus ad lanienam trahebatur, illudendi; noluit eam amplecti. *Si enim aufugiam* (inquit) *vos frustulatim dissecabunt.*

Hisce angustiis, non exiguum Regi solatium attulit Liberos invisendi copia. His (*Elisabethæ*, scilicet, et *Gloverniæ* duci) in mandatis dedit, *Ut* Carolo *tanquam Regi obsequerentur: Ut se invicem amarent: Ut inimicis ignoscerent: Ut omnem charissimæ parenti obedientiam præstarent.* Edocet quales libros Religioni consulturi legerent. Datâ demum benedictione, eos inter lachrymarum effluvia dimittit. *Carolus Palatinus* & *Richmondiæ* Dux, eandem facultatem obtinuerant. At noluit eos, utcunque charos, admitti, sacris adeò Meditationibus intentus.

Hookeri *polit. Eccl.* Andreæ *Episc. Wint. concion.* Laudi *Archiepiscopi opera contra* Fish.

Jámque illuxerat fatalis ille dies III. *Kal. Februarii*, à Divi *Jacobi* Palatio per Vivarium pedes adductus, milites ut festinantiùs irent, hortabatur: *Se iis*, inquiens, *minori anxietate ad certamen de Cœlesti Coronâ præire, quàm milites pro Terrestri Diademate pugnare jusserat.* In Cubiculo ubi antea recumbere assuetus, horam unam

nam & alteram precibus, et cœleſtis Viatici ſuſceptioni impendit. Nec mediocriter erectus fuit, Evangelii, quo *Domini Jeſu* Paſſionis Hiſtoria deſcribitur, lectione: Præſertim cùm ſciret, id ſecundùm *Precum Codicem* pro die, non ex conſulto factum. Peractis ſacris, in pegma per Cœnaculum, pullatis horridum ornamentis, prodit. Truncus, ſecuris, larvatíque carnifices ibidem occurrunt. At obfirmatum innocentiâ & pietate animum non adeò terrent, quin major illum viventium cura, quàm mortis timor afficere videretur. Itaque Adſtantes alloquitur:

A Comitiis, non à ſe, bellum incœptum probat. Agnoſcit injuſtam Sententiam, juſto Dei Judicio, injuſtâ aliâ Sententiâ puniri. Inimicis non tantùm ignoſcit, ſed orat, ut tam grave ſcelus Deus iis remittat. De pace ſollicitus monet, ne gladii jure eam poſſe ſtabiliri putarent. Docet unicam paci viam, ſi Deo, Principi & Populo quæ ſui juris ſunt, reddantur.* Denique profitetur *Se Proteſtantis Eccleſiæ* Anglicanæ *filium, Chriſtianúmque, ut & Populi juxta leges Martyrem mori.* Submiſſis, poſt effuſas Deo preces, cervicibus, ſequebatur nefarii Judicii immanis Cataſtrophe. Concurrentibus quibuſvis malitiæ, et crudeli-

* *Meminit* Straffordiæ *Comitis mortis.*

tatis indiciis (Obſtupeſcendo humanæ fragilitatis documento) præ Regiis foribus, Rex, deplorabili ſpectaculo, à larvato Carnifice perimitur. Mirum quàm Chriſtianâ conſtantiâ, et fortitudine aſſuetum coronis caput ſe morti ſubmiſerit. Fœlix quòd terrena hæc ſplendida & gravia reliquit, immortalitatis gloriâ potiturus.

Rex à larvato Carnifice perimitur, Jan. 30. $164\frac{8}{9}$.

Tantum Relligio potuit ſuadere malorum!

Et profectò, ſicut à rerum exordio deteſtabile adeò parricidium prior ætas non tulit; ſic mortalium nullus, tot omnis ſexûs, ætatis, ordinúmque lachrymis exceptus. Pueri, quibus publica vix curæ, in lachrymas funduntur. Ætate provectiores, mœrore tantùm non confecti. Plurimi dolori impares, quaſi fulmine perculſi diriguere. Fœminarum multæ immaturos fœtus, ſicut illa quæ cùm emigraverit gloria ab *Iſraële*, in lucem ediderunt. Nec in ſuis Regnis luctus tantùm: Sed humani generis univerſitas (nam,

Quæ regio in terris noſtri non plena doloris?)

immeritum Principis fatum indoluit.

Imò

Imò ipſæ immanes Factiones, ſceleris atrocitate perculſæ, flagitii infamiam approbare haud ſuſtinuerunt. *Presbyteriales* invidiam à ſe amoliturí, *Independentibus* imponunt; jámque quod in Proſcenio laudârant, in Actu damnant: At an ex ſerâ pietate, vel ex emeritâ improbitate (quippe ſi non Re, at Voto pariter Regicidæ) ipſi viderint. *Independentes*, privatum ſe, et hoſtem, morti tradidiſſe affirmant; *Regem* equidem pridem à *Presbyterianis* trucidatum, quippe *Prærogativâ*, quâ cæteris præcelluit; *Armorum arbitrio*, quibus Populum protegere potuerit; et *Libero* in Comitiis *Suffragio*, quo Leges ferebat, prorſus ſpoliatum. Memorabant etiam, Regem ab illis Libertate, quatenus Civis eſſet; Uxoris Societate, quatenus Maritus; Liberorum Converſatione, quatenus Parens; Servorum, quatenus Dominus, famulitio; imò omnibus, quæ vitam reddant beatiorem, exutum denudatúmque. Adeò ut nihil *Independentibus* relictum, niſi ut finem ærumnoſis calamitatibus, quibus Hic *amaritudine & doloribus affectus*, tam ſceleſtè à *Presbyterianis* obrutus erat, imponerent. At quicunque Sceleris Auctores, dolendum quod fecere, quod cùm infectum reddi nequeat, optan-

dum ut memoria tam inſoliti facinoris, cum iis qui id meditati ſint perpetraverintque, periret.

Nec ſic ſceleratæ Factioni factum ſatis; in demortui corpus ſæviunt immani barbarie: Abſciſſi Crines, effuſúſque Sanguis licitantur. Ablutæ cruore manus, intinctíque baculi. Imò truncus aſſulatim, et arenulæ ſanguine imbutæ venum exponuntur. At diſpari affectu. Hæc enim à nonnullis comparata, ut Principis, quem deperibant, Reliquias conſervarent: ab aliis, ut Hoſtis Exuvias oſtentarent. Conſtat *Cromwellum*, ut avidos ſatiaret oculos, Corpus aperto loculo curiosè inſpexiſſe, digitis caput à cervice revellendo.

Nec ſufficit in viventem & mortuum deſæviiſſe, niſi & Famam ejus denigrarent, quod conductitio *Miltoni* cujuſdam calamo efficere conabantur. *Salmaſius* equidem, Defenſionem pro Rege ſcripſerat. *Presbyterianus* hic, ille *Independens*; uterque (ſi *Hobbio* fides) Latino inſignis, at rationibus vacuus.

Et ſic Regem, utì ſæpiùs jactaverat, juratóque fœdere promiſerat, Glorioſum effecit Magnúmque utraque Parlamenti Domus; ſc. evanidam & ſpinoſam quam contexuerat illi Coronam, in æternam & immar-

immarceſſibilem commutando. Magnum quidem, ſed Laboribus, Patientiâ & Martyrio Magnum.

Sic cecidit *Carolus*, trium florentiſſimorum Regnorum, dum licuit, Magnus & Juſtus Monarcha, magnúmque, ſi quod aliud, utriuſque Sortis Exemplum.

Divi Caroli Elogium.

Princeps Aſpectu decorus, conſtans, fortis, pius, eloquens, Integer vitæ, Sceleris purus, publicis, privatíſque virtutibus clarus; natus hominum Fœlicitati, ſi in Homines non Monſtra incidiſſet. Optimus Rex: Vir Optimus. Optimus Parens: Maritus Optimus. Optimus Dominus: Patientiâ, Caſtitate, Pietate, Juſtitiâ, Fide erga Deum & Homines intemeratâ inſignis. In eo tantùm nocens, quòd Rex eſſet; Imperióque digniſſimus, ipſo Hoſtium ſuffragio, niſi imperaſſet.

Regium Corpus à Medicis conditum, palámque per dies aliquot, in *Ædibus Jacobæanis expoſitum*, VI. *Id. Februarii*, *Herberto* aliíſque è Familia traditum, *Windeſoriam* nullâ Exequiarum pompâ, ſed ingenti ſuorum luctu transfertur. Petierat *Herbertus* ut Regium corpus, juxta *Jacobi* Patris Monumentum, in *Henrici* VII. Sacello reconderetur. At negatum, ne Populus Superſtitioni pronus, locum con-

curſu prophanaret. Veniam chariſſimi Domini inhumandi impetrant *Lenoxiæ* Dux, *Hertfordienſis*, *Dorceſtrenſiſque* Marchiones, *Linzeyus* Comes, modò funerei ſumptus quingentos Aureos non exceſſerint. Sacris itáque Reliquiis à ſuperiori Arce Ductorum humeris advectis, ſereno cùm exirent Cœlo, antequam Fani porticum attigiſſent, tegmen ex nigro ſerico, quo velabatur Feretrum, nive conſperſum: Innocentiæ & Candoris ſpecimen.

Adſtantes angebat, quòd Eccleſiæ precum uſum negaret *Fanaticus* Gubernator. Unde factum, ut inter Gemitus & Lachrymas ſepeliretur; largiori à Pio Epiſcopo *Londinenſi* flumine effuſo, quòd extremum hoc officium ſuo Regi, Dominóque amantiſſimo, perſolvere ſibi non permitteretur.

———*Extinctus amabitur idem.*

FINIS.

Obſcuriora quædam in Exterorum Gratiam explicantur.

Pag. 2. *Lege de Petione Juris.* **Petition of Right.**] Ea Lex à tertio *Caroli* Parlamento Regi extorta fuit, quâ Rex ſe poteſtate pecunias populo irrogandi abſque utriuſque Domûs conſenſu non tantùm ſpoliavit, ſed & jure Cives (res novas utcunque meditantes) incarcerandi indictâ causâ privavit.

Pag. 5. *Presbyteriani ſeu Puritani præcones.*] Καθαροὶ, puri. *Calvini* Sectatores, ob obtentam ſanctimoniam Ironicé ſic dicti.

Pag. 6. *Regis prærogativa.*] Regalia Majeſtatis inſignia, aliáque Jura & Privilegia Principibus inhærentia.

Pag. 103. *Delinquentes.*] *Regios* ſcil. et Regi fidos, quos hujuſmodi convitiis populo, tanquam tyrannidis propugnatores, inviſos reddebant.

Pag.

Pag. 18. *Inferior verò Domus.*] Parlamenti Inferior Conſeſſus vel Curia; à tertio *Popularium* vel *Communium* Ordine, è Provinciarum nimirum, Urbium, Municipiorúmque Delegatis conſtituitur.

Pag. 18. *Magnam Chartam.*] Antiquum quoddam Inſtrumentum, magnæ in *Angliâ* exiſtimationis, quo Leges populíque libertates & privilegia vindicantur.

Pag. 54. *Ex Malignantium Pontificiorúmque manibus.*] Quibus nominibus omnes Regi adhærentes, Conſiliarios præſertim & fervidiores amicos, denigrabant.

Pag. 85. *Solemne fœdus.*] Inclinante Pſeudo-Parlamenti fortunâ, de Scotis in auxilium evocandis decernitur. Inito igitur cum iis *Solenni Fœdere*, unà juravêre; Se reformatam in *Scotiâ* Religionem, utpote omnium puriſſimam, conſervaturos; Religionem in *Angliâ*, velut omnium corruptiſſimam, reformaturos; Regimen Epiſcopale penitùs extirpaturos; Parlamentorum privilegia, Regnorúmque libertates indefinitè defenſuros; Regis autem perſonam & auctoritatem cum limitatione (*in veræ religionis, liber-*

bertatúmque regnorum conſervatione, quâ Clauſulâ, prætextus obedientiam ſubtrahendi nunquam deforet) protecturos; denique Incendiarios omnes & *Malignantes* (quo Regi fidos vel huic Fœderi non conſentientes intelligebant) detecturos, et ad ſupplicium tracturos, &c.

Pag. 103. *Independentium factio.*] *Independentia*, eſt Errorum, Hæreſium, Blaſphematum, et Schiſmatum genus generaliſſimum. *Independens*, quaſi à nemine in ſpiritualibus pendens. *Et unuſquiſque, quod rectum eſt in Oculis ſuis facit. Independentes* tyrannidem in ſacris exoſi, Chriſtianam libertatem omnibus porrigunt, quâ unicuique independenter ab altero, pro ſuo more & libitu, Deo inſervire, licitum.

Pag. 103. *Utriuſque Domûs Ordines.*] Parlamenti Conventus ex duabus Curiis, ſive Domibus (utì vocant) componitur. De Inferiore ſuprà monuimus: Superior equidem ex Eccleſiaſticis, Epiſcopis & Proceribus conſiſtit, qui & *Parium*, apud nos, *Domus* nominatur. Judices ad conſulendum, non ſuffragandum aſciti, in hoc Conſeſſu locum habent. Dies, locúſque Comitiorum à Rege indicitur; ab eodem prorogatur, et omnino pro ejus arbitrio

arbitrio definitur. Nec quicquam, ab utraque licèt Domo decretum, abſque Regis ſuffragio & aſſenſu, ullius valoris habetur.

Pag. 106. *Vel Parium Judicio, vel duodenariæ inquiſitioni.*] Proceres, Duces nimirum, Marchiones, Comites, Barones, per Pares Judicio ſiſtuntur. Minores Nobiles, ut & plebs, per duodecim juratos viros, ſeu Quæſitores, judicantur. At hìc res aliàs ſe habuit.

Pag. 106. *Pudenda aſſentatione ſedebant.*] Nam *Laudus* Archiepiſcopus, cùm nec Parium, nec duodecim virorum inquiſitioni ſubjiceretur; Procerum reliquiæ, ut popello adblandirentur, in Inferioris Domûs Curiâ, unà cum ejus Delegatis aſſidebant; verborum & humilitatis aſſentatiunculis Plebeculæ gratiam aucupaturi.

Pag. 186. *Agitatores eligit.*] *Agitatores* ſive *Adjutatores*, electi duo è ſingulis Equitum Peditúmque Legionibus (conniventibus Præfectis) Gregarii erant. His conceſſa à Commilitonibus poteſtas agitare conſilia, et quid facto opus in communem utilitatem decernere; et Emiſſariis per ſtationes & præſidia diſperſis, cæteros edocere. Hi tandem

dem tribunitiam arripiunt auctoritatem; nec inter ſe Conſeſſus celebrare ſatis habent, ſed in Conciliis militaribus cum Præfectis ſedes vendicant; nec ſolo de militis gregarii commodo ſoliciti, ſe totius Exercitûs gubernandi conſultis immiſcent; quin et civilibus negotiis totius Populi, tam *Angliæ*, quàm *Hiberniæ*, incumbunt. Hi nihil frequentiùs in ore habent, quàm *populi libertatem* & *potentiam*, &c. *Elenc. Mot.*

Pag. 197. *Militiam Urbi jam nutanti reſtituunt.*] Urbana militia è civibus conflata, Tribunis & Centurionibus, à ſuo Magiſtratu nominandis parebat; donec ortis inter *Londinenſes* & Comitia ſuſpicionibus, Ordines eam, mutatis pro libitu Præfectis, ſui juris habere voluit. At tumultuante demum per Provincias Populo, prædictam armorum poteſtatem Urbi jam palàm nutanti, ne aliàs extorqueretur, reſtituunt. Beneficio capti cives, ſolitâ perfidiâ *Pſeudo-Parlamento* adhærebant.

Pag. 211. *Regni duodecim Judices.*] Judices apud *Anglos* duodecim numerantur, qui tribus *Weſtmonaſterii* Curiis jus populo quater annuatim dicunt. Superiori Curiâ (vulgò * *Regis Bancus* appellatur)

* Kings Bench.

latur) cauſæ inter Regem & Populum determinantur; in alterâ Curiâ de † *Meo* & *Tuo* inter partes altercatur; in tertiâ verò, de * *Publico Ærario* & *Regis reditibus* ſtatuitur, quatuor unaquaque Curiâ aſſidentibus Judicibus. Inter hos duodecim, Comitatus Regni, quaſi in Provincias, diſtributi ſunt; in quorum præcipuis Urbibus conſeſſus Judicii Statarii habentur, ubi coram binis Judicibus, carceribus bis in anno exinanitis, rei ſiſtuntur, et Civiles Cauſæ determinantur.

† Common Pleas.

* Exchequer.

Pag. 111. *Regis Judices.*] *CL.* è factioſorum petulantiſſimis, tartareo Tribunali præpoſiti, inter quos

Bradſhaus Præſes,	Leguleius.
Ol. Cromwellus,	Decoctor.
Harriſonius,	Lanionis filius.
Tho. Scot,	Cereviſiarii librarius.
Greg. Clement,	Mercator.
Jo. Joneſius,	Servus.
Axtelius,	Propola.
Okeyus,	Candelarius.
Barkſted,	Aurifaber.
Prideus,	Cereviſiarius.
Blakeſtone,	Propola.
Dean,	Tormentarius.
Ven,	Sericarius.

Titchburn,

Tichburn,	Lintearius.
Whaleyus,	Pannarius.
Hewſonius,	Sutor.
Goffius,	Salarius.
Cor. Holland,	Servus.
Cawley,	Cereviſiarius.
Skipponus,	Auriga.

INDEX.

INDEX.

A.

pag.

Aberdonia, 7, 179
Adjutatores, 186
Anglo-Hiberni Proceres obsequium exuunt, 46
Archiepiscopus *Eboracensis*, 171
Archiepiscopus *Cantuariensis* à plebe impetitur, 12. Incarceratur, 24, 85. Trucidatur, 106, 189
Argathelius, 86, 178, 179, 180
Arlæus Comes, 182
Ashburnhamius, 162, 192
Auburnia, 83
Aubignæus Regulus, 64

B.

Balforius, 60, 95, 98, 101
Banburia, 65, 101
Barclayana Arx deditur, 152

pag.
Barnſtapula deditur, 160
Baſſettus, 98, 158
Bathonia, 141, 147
Baylæus, 82, 200
Bazingia, 95, 153, 154
Bedfordiæ Comes, 90
Bellaſiſius Regulus, 171
Bercleyus, 192
Bernardus Lenoxiæ Ducis frater Occid. 151
Bethelius, 139
Boultonia Capta, 92
Boveya, 156
Boyſius, 102
Bradſhawus Execrabilis Curiæ Præſes, 212
Brenfordiæ Comes, 84, 95, 101, 102
Breretonius, 130, 165, 166
Briſtolia deditur, 77. obſidetur, 143. deditur, 146
Britannorum in *Hibernia* Securitas, 38. miſerè trucidantur, 39, &c.
Brownius, 100, 130
Burglæus. 179
Byronius Regulus, 165

C.

pag.

Caleva, 102, 171
Cantiani arma rapiunt, 197. Funduntur, 198
Caſtelli-portûs Comes cuſtodiâ elapſus, 47
Cambri Claſſicum canunt, 197. Vincuntur, 199
Careus (Alex.) capite plectitur, 105
Carolus I. *Jacobo* ſucceſſit, 1. In *Scotos* movet, 9. Procerum Conventum *Eboraci* indicit, 14. *Scotos* in Patriam ſequitur, 28. *Londinum* revertitur, *ibid.* Quinque è Communium unúmque è Procerum Conventis Majeſtatis poſtulat, 30. *Hamptoniam* ſe ſubducit, 34. *Eboracum* tendit, 36. *Hullâ* excluditur, *ibid.* Militem conſcribit, 53. Ejus Oratio, 57. Caſtra *Londinum* verſus movet, 59. Pugnat ad *Keyntoniam*, 60. *Banburiam* occupat, 65. *Brentfordiam* expugnat, 66. *Oxoniam* redit, *ibid.* *Gloceſtriam* obſidet, 80. *Leiceſtriam* expugnat, 130. Ad *Herefordiam* fugit, 147. *Venantodunum* intercipit, 148. Regis anguſtiæ, 161. Ad *Scotos* ſe recipit, 162, 172. Divenditur, 175. Ad *Holmbeyam* ducitur, *ibid.* Ab exercitu

pag.
interceptus, 186. Insidiis impetitur, 191. Subducit se in *Vectim* Insulam, 192. Populum appellat, 196. Ad *Hurst* Arcem ducitur, 206. *Londinum* ducitur, 207. Coram Regicidis sistitur, 211. Accusatur, 212. Damnatur, 218. Perimitur, 224. Ejus Elogium, 227
Cestria sublevata, 130, 151. Deditur, 167
Claræ Comes, 90
Classis defectio, 202
Clevelandiæ Comes, 96, 101
Colcestriæ obsidio, 198. Deditio, 201
Colloquia *Uxbrigiensia*, 107. *Vectensia*, 204
Comitia *Oxoniam* transferuntur, 89
Comptonius Eques, 170
Cookius, 139, 185
Corinium intercipitur. 83
Crafordiæ Comes, 86, 174
Cromwellus, 65, 94, 102, 103, 104, 129, 130, 133, 134, 154, 155, 184, 187, 188, 195, 199, 201, 205, 210.
Cruces *Londini* diruuntur, 88

D. *Dart-*

D.

pag.
Dartmoutha expugnatur, 156
Decretum *Spontaneæ Abnegationis*, 104
Denbighæ Comes, 110
Denbigenſis Arx deditur, 171
Deningtonia, 102
Devizes expugnata, 153
Digbeyus Regulus, 22, 35, 151
Dives (*Ludovicus*,) 142
Droghedæ obſidium, 46. Solvitur, 48
Dublinia obſidetur, 51. *Anglis* traditur, *ib.*

E.

Eboracum, 91, 92
Eboracenſis Dux, 202, 205
Edinburghenſis Seditio, 8
Edoardus Confeſſor, 88
Epiſcopi incarcerantur, 33
Eſſexius Rebellium Dux, 54. *Readingham* capit, 78. *Gloceſtriam* triumphanter intrat, 82, 83, 97. Exercitum deſerit, 98, 101, 103
Eveſhamum, 99, 107
Eureus Trib. 205
Exonia, 154. Deditur, 160

F.

pag.
Falklandius Vicecomes occiditur, 84
Fairfaxius (*Ferdinand.*) 93
Fairfaxius (*Thomas,*) 93. *Eſſexio* ſucceſſit, 104. *Oxoniam* obſidet, 130. Pugnat ad *Naesbie*, 132, 138, 139, 145, 147, 152, 154, 157, 161, 172, 185, 187, 188, 190, 191, 198, 205, 206
Faringtonium, 129, 169
Finchius Sigilli Cuſtos, 18, 53
Fœdus Nationale, 85

G.

Gerardus, 160
Glenhamus, 168, 169
Gloceſtriæ obſidio, 81, 82
Gordonius Regulus, 181
Goringius, 93, 130, 132, 137, 138, 142, 143, 145, 153, 155
Grayus, 130. *Grayus* Baro, 200, 209
Grahame Patricius, 177
Greenvillus (*Rich.*) 98, 150
(*Bevilius*, 75, 105
(*Johannes*,) 101, 171

H. *Hamil-*

H.

pag.
Hamiltonius, 13, 73, 86, 174, 177, 199, 200
Hammondius, 133, 192
Harborough Vicus, 132
Harlegh Caſtrum deditur, 171
Harriſonii immanitas, 208
Harvæus, 82
Herefordia, 137. Intercipitur, 164
Hobbius, 226
Hollandiæ Comes, 90
Holmbeya Palatium, 175, 186
Hoptonius, 74, 75, 76, 95, 130, 157, 158. *Exercitum* dimittit, 159, 202
Hothamii, Pater & Filius, 105
Howardus Chiliarcha. 133
Huntleyus Marchio, 177
Hudſonius, 162
Hibernicus exercitus exauctoratur, 27. Conjuratio *Hibernica*, 37. Uſque ad pag. 52. *Hiberni* Reipublicæ ſpeciem inſtituunt. 47

I.

pag.
Jacobus Rex, 1, 7
Jacobus Aſhleyus, 98, 133, 161
Immanitas *Hibernorum*, 49
Britannorum, *ibid.*
Independentes, 184, 207, 210, 225
Johannes Lenoxiæ Ducis frater occiditur, 95
Joyceus Agitator, 186
Iretonius, 132, 133, 134, 136, 143, 161, 188, 195, 205, 210
Iſca Amnis.

K.

Kalendarius Comes, 200
Keyntonia, 60, 69
Kilſyth, 182
Kilkennia ſeu *Fanum Canici*,
Kingſtonia, 66

L.

Lambertus, 167, 200
Lanericus, 90, 191
Langporta, 139
Langdalius, 133, 134, 136, 151, 152, 199

pag.
Lathomia diu obſeſſa liberatur, 92
Lauderdalius, 191
Leggius, 147, 192
Leiceſtria Urbs, 130, 137
Leiceſtriæ Comes, 45
Leſleyus (*David*,) 148, 182
Leſleyus Leveniæ Comes, 13, 86, 93, 149, 172
Lichfeldia, 147
Liſleyus Eques, 129, 202
Londinenſes tumultuantur, 33. Eorum inſania, 150, 188
Londinum Fairfaxio traditur, 190
Lothamius Comes, 179
Loudenus Scotiæ Cancellarius, 103
Lucaſius Eques, 93, 153, 202
Ludlowa, 149
Lyndzeius Comes, 602. *Lyndzeii* Filius 62, 133, 209

M.

Mackdonaldus (*Alex.*) 177
Mackmahon & *Macguirius* intercipiuntur, 40. Supplicio afficiuntur, 107
Manconiæ Comes, 93, 99, 100, 110
Martin (*Henricus*) Sacrileg. 88
Maſſeyus, 81, 173, 185
Mauritius

pag.
Mauritius Princeps, 98, 133, 169
Maynardus, 103
Meldrumus ad *Newarkam* funditur, 91
Middletonius Regulus, 99
Middletonius Eques, 109
Miltonus, 226
Mittonius, 108, 171
Montacutus Tribunus, 145
Monkius Tribunus, 109
Monrowus, 200
Montiſroſanus, 73, 149, 162, 176, uſque ad 182
Morganus, 164
Motuum in *Anglia* cauſa, 3, 4. In *Hibernia*, 38, 39
Muſgrovius, 199

N.

Naesbie Vicus, 133
Navalis Cenſus, 3
Neoburia, 83, 102
Neocaſtrenſis Comitis res geſtæ, 72. *Eboraci* obſidetur, 91, 93, 94
Newarka, 160. Dedita, 171
Neoburgus Regulus,
Northamptoniæ Comes, 96, 101
Novum-Caſtrum, 10, 14, 163

O.

pag.
O'Conelly conjurationem aperit, 40
Oratores Comitiorum ad Caſtra fugiunt, 189
Ordines ejiciuntur incarcerantúrque, 207
Ormondiæ Comes *Dubliniam* venit, 45. Legatus à *Leiceſtriæ* Comite nominatur, 45. Regno Præpoſitus Ceſſationem ab armis cum *Hibernis* paciſcitur, 50. Deditâ *Dubliniâ* in *Angliam* redit, 52, 162
Oxonia, 161. Obſidetur, 167. Deditur, 169

P.

DE Pace agitur, at malâ à Rebellibus fide, 68, 69, &c.
Palatini, *Rupertus* & *Mauritius*, in *Angliam* veniunt, 56
Parlamentum breve, 11. *Sanguinarium*, 16, &c. Ab *Oxonienſi* Conventu Majeſtatis reum pronunciatur, 71
Petitio de Jure, 2
Pontaquinum, 139, 140. Expugnatur, 141
Porterus, 93, 139
Poyntzius, 171
Prideus Tribunus, 133, 145

pag.
Prælium *Keyntonenſe*, 60. *Stratonenſe*, 74. *Landſdownenſe*, 75. Ad *Devizes*, 76. *Hoptonienſe*, 78. *Neoburienſe*, 83. *Marſton-Moorenſe*, 93. *Alfordenſe*, 95. *Neoburienſe*, ſecundum, 101. *Naesbienſe*, 132. *Langportenſe*, 139. Ad *Præſtoniam*, 200, 202, 204. *Kylſithanum*, 182
Presbyteriani, 184, 186, 188, 189, 207 210, 225
Puritani, 3, 5, 68

R.

Raynsborough, 133, 152, 170
Richmondiæ Dux, 209
Robertſius Baro, 97, 98
Rolfius Sicarius, 205
Roſſiterus, 133, 150, 191

S.

Sacramentum ſeu *Proteſtatio Anglicana*, 26
Salmaſius, 226
Salopia, 57, 59. Intercipitur, 108
Savilii Baronis Commentum, 15
Scarborough, 109

Scoti

pag.
Scoti tumultuantur, 6. *Gallos* in auxilium vocant, 9. *Angliam* invadunt, 10. Dimittuntur, 25. Rebellibus *Anglis* ipſi rurſus Rebelles ſe adjungunt. 85. *Scotorum* perfidia, 86, 87. *Angliam* iterum invadunt, 90. *Herefordiam* fruſtrà obſident, 149. Funduntur, 200
Sherburnia vi capitur, 142
Skipponus, 84, 101, 137
Southamptoniæ Comes, 69, 209
Stapletonius, 84
Sunderlandiæ Comes, 84
Sylleæ Inſulæ, 171
Synodus Nationalis, 71

T.

Taveſtokia, 99, 107
Tauntonia, 130, 137, 138
Tamaris amnis, 158
Taylerus Tribunus, 146
Tivertonia capta, 154
Torringtonia, 157
Tumultus *Caſtrenſes*, 186
Londinenſes, 188

V.

pag.
VAnius (*Henricus*) Dominum prodit, 12, 20
Varneyus Eques, 63, 64
Venta Belgarum, 95, 153, 154
Vigornia, 60
Vigornenſis Marchio, 171, 176
Vſherus Armachanus, 23
Vxbrigenſe Colloquium, 107
Vxella, 100, 147
Uxor *Fairfaxii*, 219
Bradſhawi, *ibid.*

W.

WAllerus (*Guillielmus*) ad *Devizes* funditur, 76. Regios fugat, 95. A Rege vincitur, 96, 100, 101
(*Hardreſſus*,) 145, 157
Warwicenſis Comes, 36, 203
Watſius, 158
Weldenus Tribunus, 130, 137, 146
Whaleus, 134, 191
Whitlockius, 103
Wellingtonia, 58
Willoughbæus Baro, 63
Windeſoria,

pag.
Windeſoria, 207
Windamus Tribunus, 141
Wintonienſis Marchio, 154
Wrothius, 194

FINIS.